








Ioachimi Perionii Benedictini Cormœriaceni Pro Aristotele in Petrũ Ramum Orationes II.

Eiusdem De Dialectica Liber I.

AD REVERENDISS. IN Christo Patrẽ, D. Ioannem Bellaium Cardinalem.



PARISIIS,
Apud Ioannem Lodoicum Tiletanum ex aduerso Collegij Remensis.
1543




W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

SD 2859 I

SD 2859 Ib

SD 2859 Ic

SD 2859 Id





Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

Ioachimi Perionii Benedictini Cormœriaceni Pro Aristotele in Petrũ Ramum Orationes II.

Eiusdem De Dialectica Liber I.

AD REVERENDISS. IN Christo Patrẽ, D. Ioannem Bellaium Cardinalem.



PARISIIS,
Apud Ioannem Lodoicum Tiletanum ex aduerso Collegij Remensis.
1543

SD 2859 I c

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

1131983

N. 466 0069

Reuerendiſsimo

in Chriſto Patri, D. Ioanni Bellaio Cardinali, Pontifici Pariſienſi, Abbatíque Cœnobij B. Pauli apud Cormœriacũ, Ioachimus Perionius Bened.

S. P. D.

CVM *triennium fermè abhinc, Cardinalis ampliſsime, primũ Ariſtotelis Topica de græcis à me conuerſa, deinde librum de reprehenſionibus Sophiſtarum in tuo nomine diuulgarẽ, in eo equidem officium ſequi me intelligebam, vt ſi immortalibus tuis in me beneficijs parem gratiã nunquã referre poſſem, at certè id facerẽ, quo ingrati animi crimẽ effugere uiderer. Aliud enim ſciebã eſſe aliquam beneficiorum partem conſequi, aliud beneficia memoria colere ſempiterna: propterea quòd in referenda gratia magnitudo*

par rerum postulatur: memoria id solum flagitat, ut uel nulla re eius qui contulit beneficium, offendatur uoluntas, uel quod ei gratum sit studioſè id libentérque præstetur. Quoniam igitur prius illud ne facerem, tuorum in me meritorũ magnitudo prohibebat: posterius mihi proposui, ea potissimum ad te scribere, quæ tibi propter summam Aristotelis & auctoritatem & laudem probatum iri putarem. Atque ea quidem me adhuc non fefellit opinio. Sæpe enim quàm hoc tibi officium meum gratum esset, significationẽ magnam dedisti. Cùm autem mense Octobri extremo Petri Rami librum legissem, in quo & Aristotelis, quæ tot seculis apud omnes ualuit semper plurimum, auctoritatem tollere vult, & nomen ad maiorem quàm hostis hosti conflare uelit, inuidiam atque ignominiam transferre: magnum equidem ex eo dolorem cepi: quòd vererer, ne si minus apud te, at certè apud incautos aliquid illa eius posset oratio. Hoc enim si fieret, facilè intel-

ligebam, non ſolum eam ſecuturam de hoc meo officio opinionem, ut nihil ulla laude dignum feciſſe viderer, ſed etiam, id quod me vehementius commouebat, fore vt cõtempto Ariſtotele, cum nihil certum eſſet quod in philoſophia ſequeremur, infinitæ ſectæ naſcerẽtur. Itaque omni ratione mihi illius eiuſmodi conatibus occurrendum primo quoque die putaui, ne hoc malum aliquorum mentes occuparet: in quibus cum radices egiſſet, longius peruagaretur. Scriptis igitur ſcripta quæ latiſsime patent, nõ verbis quæ ad paucos perueniunt, refellenda cenſui: quorum tibi nunc rationem omnem ſtatui exponere. Libros ille duos edidit, quorum vno Dialectică complexus eſt, quam nos uult vnam tenere, non ſolum Ariſtotelis, ſed omnium qui adhuc de illa arte aliquid ſcripſerunt, contempta & repudiata auctoritate: altero docet, cur Ariſtotelis, Ciceronis, & Quintiliani auctoritati nihil tribuere debeamus. in quo eiuſmodi ſe geſsit, ut non tam acriter refel-

liſſe eorum ſententiam, quàm petulanter & procaciter in eos inuaſiſſe videatur. Ego autem duas orationes his eius duobus libris oppoſui. quarum altera cùm reliqua omnia argumenta, quibus Ariſtotelis diſciplinam labefactare ſibi videtur, tum vel maximè id quod firmiſſimũ & quaſi inexplicabile exiſtimat, refello. Cũ enim, etſi titubãter, neget eſſe Ariſtotelis eos libros qui hodie eius nomine circunferantur, ego contrà Ariſtotelis eius qui Platonẽ audiuit eos eſſe doceo: Strabonémque ac Plutarchum, quorum hic auctoritate ad id coarguendum abutitur, non ſolum non hanc nouam ſententiam defendere, ſed ab ea etiam abhorrere demonſtro. Altera eius Dialecticam exquiro & conſydero, nullámq; ei cauſam fuiſſe demõſtro, cur ab Ariſtotele deſciſceret, nouámque inſtitueret diſciplinam. Hac eius Dialectica & diſciplina improbata, diſſerendi rationem cum Ariſtotelica conſentientem vno libro trado & cõplector, ut vetus illa retineatur. Quæ ego

omnia ad vnum te mitto, vt qui Aristotelis præstantissimum ingenium, singularémque ac multiplicem doctrinam semper cum Ciceroне admiratus es, eiúsque librorum quos in tuo nomine apparere uolui, summus & laudator & patronus adhuc fuisti, eũ contra acerrimum hostem velis defendere. Quod vt facias, non ego vnus te vehementer, etiam atque etiam rogo, sed tua etiam te Lutetia tacitè obtestatur, ne cum auctorem quem vnum ipsa à primo ortu tenuit ac probauit, vnius qui degenerat, temeritate & arrogantia vexari opprimíque patiare. Vale, amplissime Cardinalis, Lutetiæ Parisiorum,

VI. Id. Decemb.

M. D. XLIII.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI PRO ARISTOTELE in Petrum Ramum, Oratio I.

SI omnes uellent, qui omne tempus ætatis in docendo, uel scribendo consumũt, officium suum pro dignitate rerũ quas profitentur, tueri, ut & res præclaras, magnósq; ac claros homines laudarent, & improbos uituperarent: minus res pulcherrimæ, uiríque præstanti laude ex inuidia laborarent. Sic enim & uitia eorum qui docerent, oratione, ac scriptis improbata, discipulorum eorúmque omnum ad quos hæc peruenirent, animi repudiarent: & uirtutes quas ab illis commendari uiderent, ipsi etiam probarent. Nunc paucorum improbitate, qui res præclarissimas, honestissima studia, uiróque clarissimos scriptis uituperant, tantum pleroſque omnium ordinum ætatúmque homines odiũ bonarum artium tenet, ut in rectissimis studijs rebúsque uersari turpe, in summorum uirorum libris aliquid operæ ponere indignum homine, aliquid denique eorum quæ libris illorum continentur scire, nefas esse uideatur. Quæ mihi res cum per se turpis & indigna, tum omnibus aperto eius odio & perfidia, quem defensorem esse oportuit, improbissima debet uideri. Ego enim neminem adeo impudentem, neminem adeo audacem & perditũ existimabam, qui cognitis Aristotelis laboribus, mole-

ſtijs, uigilijs, quas in tradendis aut corrigendis omnibus bonis artibus Ciceronis etiam confeßione, cõſumpſiſſet, eius ſe auderet inimicum, acerrimum hoſtem, proditorẽ denique profiteri. Quod ſi quis forte aliquando eiuſmodi exiſteret, tamen eam rationem (ſi ratio eſt, non amentia) alicui de populo, aut aliarum artium hominibus, qui ſæpe odium ſuum in eos quorum artes nullo quæſtu diriguntur, non diſsimulãt, non Petro Ramo qui ipſe dialecticam artem eius generis, & ab Ariſtotele didicit, & profitetur, conuenire poſſe iudicabã. Etenim ſi præceptoribus ac magiſtris eò difficilius eſt referre gratiã, quàm parentibus, quò animus corpori præſtat, quorum hoc parentes gignunt, illi animum informant: cui minus quàm diſcipulo eiuſmodi pars debeatur, in qua præceptorem non modo debita gratia & laude priuet ingratus, ſed omni etiam iniuriarũ contumeliarũque genere uiolet impius atque ſceleratus? Sic enim res habet, uix aut ne uix quidem adduci poſſunt homines, ut credant, eſſe aliquem qui cum iuuare & poſsit & debeat, tamen non modo non opituletur, ſed etiam noceat & oppugnet. Quod ſi antea inauditum fuit, at hoc certè tẽpore in Petro Ramo animaduerti licet. Is enim Ariſtotelẽ magiſtrũ, uirũ omnibus & naturæ & induſtriæ ac doctrinæ præſidijs inſtructiſsimũ, impoſtorẽ, præſtigiatorem, ingeniorum carnificem, portẽtum, monſtrum appellat, ei rerum omnium cognitionem adimit, eum ſenſu & ratione priuat, ex homine belluam omnium teterri-

mam efficit. Quæ si indigna sunt, præsertim discipuli in magistrum scelera, peto ab omnibus quibus curæ est Aristotelis infinitis laboribus apud omnes gentes parta, summa quæ hic agitur coniuncta cum omnium utilitate dignitas, ut quales se in sua causa præberent, tales se mihi in hac præbeant. Eos autem quibus non est tam charus Aristoteles, quòd in eius libris aut nihil aut parum operæ studiúque posuerunt, rogo & obtestor, ut si natura ingratos immemoréſque beneficiorum oderunt, si sceleratos & impios in parentes detestantur, ad hanc causam, quæ nimio discipuli in magistrum scelere nititur, eam animi permotionem, quam causa postulat, afferant: & simul etiam atque etiam uideant, ne hoc malum quod in Dialecticam Aristotelis iam peruagatum est, longius serpat. Mihi enim patientiam Dialecticorum tentare iste uelle uidetur, qua ad aliarum artium perniciem abutatur. Etenim cui dubium est, quin si nemo eius audaciam hoc loco cõprimat, & si id obtinuerit quod uult, Aristotelis arte dialectica repudiata, suam probandam esse & retinendam: in reliquis artibus idem sit effecturus? Nam si Aristotelis uiam & rationem, quam tenet in docendo, ob eam causam ridet, contemnit & pro nihilo ducit, quòd nullo seruato ordine, perturbat, ut ait, cõfundítque omnia: quid negocij erit eũ docere in iure ciuili & pontificio solam esse edictorum, senatusconsultorum, legúmque confusionem? Omnium etiam sapientiæ est singularem eius temeritatem consy-

derare. Arist. dialecticam iam tot seculis à tam multis, ijsque doctissimis & sapientissimis hominibus comprobatam, ut futilem, aniliúmque ineptiarum similem contemnit: suam nescio quam summus scilicet dialecticus, qui albus an ater esset nemo ante triennium audiuerat, pro illa probari putat oportere. Itaque omnes qui adhuc aliquid studij operæque in eius libris consumpserunt, si huius librum probent, se oleum & operam perdidisse fateantur necesse est. Qua profecto ratione non solum Aristotelem omnino imperitum ac rudem dialecticæ fuisse docet, sed omnes etiam qui adhuc Aristotelis dialecticam didicerunt, eámque tenuerunt iudicio & doctrina spoliat, eos nihil uidisse, eos errasse cõfirmat. Quæ ego cum reputarem, indignáque iudicarẽ, libenter ad defendendum Aristotelem descendi, propterea quòd speraui me tantum apud omnes bonos gratiæ in eo defendendo initurum, quantum ille odium in eo accusando in se excitasset. Defendo enim eum, cuius diuinũ ingeniũ, omniũ artium cognitionem singularem, doctrinam omnibus numeris absolutam, aureum flumẽ orationis cum multi alij, tum uel maximè Cicero non solum summis laudibus afficit, uerum etiam admiratur, & suspicit. Docebo enim Aristotelem, cuius extant libri, non quem iste fingit, esse eum, qui tantopere à Cicerone laudetur. Quod si quis hoc munus & à meo instituto alienum esse, & melius dialecticæ professoribus quàm mihi conuenire putet, ue hementer errat. Non

enim solum ab isto stultum & idiotam me appellari uideo, quòd Aristotelis de dialectica libros audierim, uel, quod mihi est cõmune cum multis, legerim: sed etiã quòd eos sim interpretatus, quod cum perpaucis præstiti. Ita ad hanc causam accessi, non is qui unum me ex omnibus copiosiss. ornatissimeque dicturum sperarem, sed quem iustissimæ causæ officij & pietatis commouissent. Neq; uerò hac mea oratione præclusum alijs iter ad hanc causam arbitror. Spero enim permultos fore, quos similes causæ impellant, præsertim cũ hæc causa sit eiusmodi, ad quã omnes quasi ad cõmune restinguẽdum incendium, concurrere debeant. Neque enim una Aristotelis Dialectica ab isto tollitur, sed etiam initur, ut dixi, ratio, qua & eius cæteræ artes, & reliquorum omnes euertantur funditus. Et quoniam Aristotelis communi pene omnium gentium consensu probata est disciplina, eáque ipsa secum ita consentit & cõspirat, ut nihil tolli, nihil mutari possit, uelim omnes existiment hoc nos suscepisse officium, magis ut aduersarium refelleremus quàm eam confirmaremus aut stabiliremus. ex quo nõnihil fructus ab omnibus perceptum iri spero. Treis enim libros scribemus, quorum primo istius ineptias reprehendemus: in altero eius dialecticam exquiremus, ut satisne iusta ei causa fuerit ab Aristotele dissidendi, intelligatur: in tertio disserẽdi uiam rationémque trademus. Antè quàm ijs quæ in Porphyrio & Aristotele iniuria reprehendit, singulatim respondeo, hoc

præponere volo, quod uitium inanis & fallacis cuiusdam sapientiæ, cuiusmodi est sophistarum, in magistro Aristotele tantum fuisse contendit, eo ipsum magna ex parte niti in eo refellendo. Nam cum eius etiam confessione, omnis sophistarum ars in captionibus posita sit, quarum aliæ in uerbis spectantur, aliæ in rebus: in uerbis, ut homonymia, ut ambiguitas, & alia quatuor: in rebus, ut cum id quod omnino dici debet, tãtum quadam ex parte dicitur, aut contrà: aut id pro causa quod non est causa ponitur, & alia quinque: in eorum fere aliquod omnis eius cadit oratio. Nam ut de ambiguitate potissimum dicam, quoties nonnihil sibi uidetur iure reprehendere, nullo modo sibi distinctione adhibita resisti patitur, sed in Aristoteleis distinctiones exagitat, ridet, contemnit, & pro nihilo putat. Cui autem dubiũ est, quin sublatis uerborum ambiguorum distinctionibus & differentijs, quiuis Sophistarum fallacibus

Porphyrius impius

conclusionibus facile capi possit? Quid dicam de causa, quam affert cur Porphyrij libros à Christianis legi nefas esse dicat? cur Aristotelis auctoritatem sequi non oporteat? cur eius librum de reprehensionibus Sophistarum legere non debeamus? Porphyrius, inquit, in Christum impius fuit, ex quo eius institutiones à nobis repudiandas esse concludit. Hanc satis idoneam & iustam causam Rame eas repudiandi putas? Quid est cur nõ etiã Origenis libros, cur Tertulliani, cur Cicer. cur Platonis, cur Luciani eadem ratione detesteris? An

grauius est in Christum quàm in deum dicere? In deū Cicero dicit, qui multos deos & ueneratur & ponit. multos Plato. Origenes mẽdacij Christū accusat. Tertullianus doctrinæ Pauli aduersatur. Lucianus in Christū. Quid autem simile in hoc Porphyrij libello? nihil prorsus. Quod si quid tale fuisset, profecto maiores nostri eum sicuti eos in quibus ille aliquid in Christum scripserat, improbassent. Sic enim existimabāt uiri sapiētissimi, hunc librum prodesse posse omnibus, nocere nemini. Negas etiam Aristotelis auctoritatem nobis tanti esse faciendam, hac potissimum ratione, quòd meretrici immolauerit. Neque hoc tu primus ei obiecisti, neque cætera quæ undecunque in eum inquirens corrogasti. Hoc Valla ante te, hoc Agrippa fecit: in quo cū illi nihil profecerint, quid tibi uenit in mentem putare, id tibi laudi fore, quod illis dedecori fuisse intelligas? Fuerit uero adulter Aristoteles, fuerit ut uis, meretricola, (quanquam illum eo amentiæ adactum esse non credo) id ne quæso obstare debet, quo minus ea quæ prudenter præcipit. Sequamur? Certè non, sed eo ualere tantum debet, ne eius illud facinus, si modo id fecit, imitemur. Alia est ratio ac uis eius libri, in quo Sophistarum captiones tradit & explicat. Neque enim ut ijs utamur ipsi, sed ut eis resistere possimus, eas illo libro est persecutus. Isto enim pacto Irenæum, Tertullianum, Augustinum reprehendas licet, quòd omnium hæreticorum non solum nomina, uerum etiam decreta in suis libris

expreſſa reliquerint. Quòd ſi in illos te æquum prebes, quòd ut hæreticorum, id eſt, eorum qui Theologiæ ſpecie fallaciter imitabantur, permicioſas ſentẽtias cognitas uitaremus, ſua perfecerunt diligentia: cur te non eũdem præbes in Ariſtotelem, qui idem præſtitit? Neminem iã dubitare arbitror, quin Ramus nulla certa ratione aut iuſta cauſa ductus, ſed ſola Sophiſtarum fucata ſapiẽtia fretus & armatus, in hoc certamẽ deſcenderit. Sed tamen exijs quæ deinceps exponã, id facilius intelligetur. Equidem eius qui ſe philoſophum profiteatur, in refellendis aliorum ſententijs eſſe puto, grauiſsimis uti ſententijs, firmiſsimis rationibus docere quod uult, non cõuicijs agere, non maledictis, aut contumelijs. Hoc enim mulierc ularum eſt potius, aut indoctorum, quibus hæc ſola arma cum uincuntur, ſuppetunt: illud hominis quẽ ueritatis amor incitat, quem officij ratio ducat, & impellat. Iſte autem quo tandem pacto perſuadere alijs poteſt id quod uult, ſe in hac ratione aliud nihil ſecutum præter officium & ueri cognitionem, fuiſſe? cuius è libro, ſi inconſtantiam, ſi mendacia, ſi contumelias, ſi cõuicia tollas, omnia ſuſtuliſſe uidebere? Quæ enim maior inconſtantia eſſe poteſt, quàm non in ſex aut decem uoluminibus, ſed in eodem eóque perexiguo opuſculo, eũdem & uituperare, & ſummis laudibus ornare? An non in hoc iſte facit, qui cum Ariſtotelem initio libri & toto libro ob eam cauſam uituperet, quòd à magiſtro Platone, id eſt, ab ipſa, ut uult, ueritate deſciuerit, eun-

dē extremo illo maximis laudibus afficit? Quanquam in hoc paratam ei defensionem existimo. Quæ autem grauiores contumeliæ esse possunt, quàm eum qui à Cicerone, Quintiliano, alijsque innumerabilibus eius generis hominibus ita laudatus sit, vt omnium ei rerum scientiam, præstantissimum ingenium, splendidam illustrémque orationem tribuant, sic uituperare, ut non solum hæc ei detrahantur, sed ea etiam tribuantur omnia quæ solis fabulis tradita, nec in hominis cogitationem cadere, nec in ullum hominem conuenire possint? An hæc te pudebit Rame, de te confiteri? qui asinum Aristotelem, asinariúmque doctorem esse dicis, eum præstigiatorem, eum portentum, eum lernam, eum hydram appellas? Tibi ille uidetur nullo ingenio fuisse præditus: at Cicero eum lōge omnibus præter Platonem ingenio, & diligentia præstitisse dicit his uerbis, Aristoteles lō. ge omnibus (Platonem semper excipio,) præstans & ingenio & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mēs. Tu nullum ingenium ei concedis, Cicero diuinum. Quod si planè sic uerterem Platonem aut Aristotelē, ut uerterunt nostri poetæ fabulas, malè, credo, mererer de meis ciuibus, si ad eorum cognitionem diuina illa ingenia transferrem. Tu cum omnium artium, tū uel maximè dialecticæ expertem & rudem uis fuisse, Cicero eum excepto Platone principem dicit philosophorum,

Ex eius peripateticorumque omnium scriptis omnem doctrinam liberalem, omnem historiam, omnem sermonem elegantem lib. quinto de finibus sumi posse confirmat. Atque ut aliquid de nonnullis eius libris aliquid dicam, eius Topica, in quibus nihil dilucidè, nihil enucleatè scriptum dicis. sed confuse perturbatèque omnia, sic laudauit, ut in scribendis Topicis quæ extant, eum ducem, quoad licuerit, sit secutus. De cuius libri utilitate uide quid in secundo lib. de Oratore scribat, Sed Aristoteles is quem maximè ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc qua in causis utimur, inueniretur. Sed maior quædam eius laus expressa est in Oratore ad Brutum: Hæc igitur, inquit, quæstio à proprijs personis & temporibus ad uniuersi generis orationem traducta, appellatur θέσις. In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utranque partem, ut ornatius & uberius dici posit, exercuit. Idémque locos (sic enim appellat quasi argumentorum notas) tradidit, unde omnis in utranque partē traheretur oratio. Atque hæc de Topicis. Arti autem rhetoricæ eius, quam tu etiam improbas, quantū tribuerit, hinc intelligi potest, quòd in epistolis exemplo eius ductum se tres de oratore libros scripsisse dicit. Quinetiam eius de arte dicendi sententiam tum in libris de Oratore ad Q. Fratrem, tum in oratore ad Brutum,

tum in Partitionibus magna ex parte secutus est. Id quod Cicero ipse in secundo de oratore libro loquens de eo, indicat his uerbis, A quo quidem homine iandudum Antoni non aberrat oratio tua, siue tu similitudine illius diuini ingenij in eadem incurris uestigia, siue illa ipsa legisti atque didicisti, quod mihi magis uerisimile uidetur. Itaque paulò infrà Catulo hæc dicenti, ita respondet, Critolaum istum quem simul cum Diogene uenisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele, à cuius inuentis tibi ego uideor non longè aberrare. Atq; inter hũc Aristotelem, cuius & illum librũ legi in quo exposuit dicendi artes omniũ superiorum, & illos, in quibus ipse sua quædã de ea arte dixit, & hos germanos huius artis magistros, hoc mihi uisum est interesse, ꝙ ille eadem acie mentis, qua rerum omnium uim naturámque uiderat, hæc quoque aspexit quæ ad dicendi artẽ quam ille despiciebat, pertinebant, & cætera. Ego cum proferre etiam permultos alios locos possim in eã dem sententiam, his ero contentus. Quæ cùm ita sint, quid ais? Rame, quæ est ista frons mentis & orationis tuæ? Vtri potius fidem habebimus? tibine nouo homini, & ante hoc tempus furoris tui incognito? an Ciceroni, id est, eloquentiæ parenti, græcis & latinis literis erudito? Scio quid responsurus es. Non mihi, inquies, sed ueritati. O arrogantiam singularem, ô impudentiam inauditã, aliquem existere eiusmodi, qui tot seculis ueri-

tatem à nemine perſpectam & cognitam neget, à ſe uno nunc demum perceptam eſſe uenditet. Neque uerò ſolum Cicer. falſum de Ariſtotele iudicium eſſe dicit, & ſuum uerum: ſed eum etiam ab Ariſtotele deceptũ fuiſſe audet dicere. Sed qua in re, operæprecium eſt cognoſcere. Dic clarè, in quo eum captauit? In generibus cauſarum. Genera autem cauſarum quot facit? Tria, Iudicij, deliberationis, exornationis. Quis in eo error ſit, doce. Quis hoc quod prædixi, non leui aliqua ſuſpicione, ſed certa ratione fore uidet, ut iſte quẽadmodũ diſſerendi, ſic dicendi artem nouam, & ab omnibus diſſidentem relinquat? Sed de his cum ars rhetorica Ariſtotelis defendẽda erit, copioſius diſſeremus. Nunc hoc tantum à te quæro, cur Ariſtotelem tot tantiſque contumelijs afficiendum tibi putaueris. Quia, inquis, contra ueritatem pro mendacio pugnauit, quia artem obſcurauit, eique tenebras pro lumine attulit, quia nullum ordinem in arte ſeruauit. At Cicero tot tantiſque eum laudibus affecit. Non hunc, inquis, cuius nunc libros habemus in manibus, ſed illum magnum, cuius libri non extant, cuiuſque ſplendida & illuſtris fuit oratio. Hæc enim arx tua eſt, hoc propugnaculum. In quo primum illud ex te quæro, quis hoc te docuerit? Plutarchus uidelicet & Strabo. Hos enim auctores te habere dicis. Plutarchus quidem in uita Syllæ eum commemorat Athenis Apelliconis Teij bibliothecam, in qua plurimi libri Ariſtotelis & Theophraſti erant, cepiſſe,

qui tum nondum planè erant uulgò cogniti. Cumque Romam delati fuissent, famam fuisse, Tyrannionem grammaticum interuertisse permultos: Andronicūque Rhodium cum exemplaria ab eo utenda accepissēt, in lucem protulisse, & ex scripsisse eas tabulas quæ tū circunferrentur. Veteres autem Peripateticos per se illos quidem nobiles doctósque extitisse, sed tamen in Aristotelis Theophrastique libris multis non satis operæ studijque posuisse, propterea quòd eos hæres Nelei Scepti, cui libros Theophrastus reliquerat, ad homines sordidos & indoctos transtulisset. Hæc Plutarchus. Vides mentionem nullam hic fieri deprauationis: ueteres Peripateticos nō caruisse omnino, ut uis, Aristotelicis libris. Quid ita Plutarchi uerba non protulisti, aut certē uerborum sententiam non es consecutus? Quia istam tuā uanitatem neminē latere posse iudicabas. At Strabo id planè confirmat. Si Strabo hoc dicit, tamē uanum te fateare necesse est. Neque enim Strabonem unū, sed etiam Plutarchum hoc scribere asseueras, quod falsum esse iā docui. Quòd si Strabonē tecū minime facere doceam, quid erit causæ cur non uanissimum te atque ineptiarum anilium auctorem esse fateare? Age Strabonis ex xiij. libro de hac sententiam proferamus. Scepti autem, inquit, fuerunt Socratis auditores Herastus & Coriscus, itemque Coriſci filius Neleus, uir qui & Aristotelem & Theophrastum audiuit. Hic autem Neleus cum hæreditatem adijsset bibliothecæ Theo-

phrasti in qua etiã erat Aristotelis bibliotheca, (Suæ enim Aristoteles Theophrastũ vt scholæ hæredẽ reliquit, Theophrastus autem Neleo suam legauit) primus omnium quos scimus libros collegit, docuitque reges Aegypti bibliothecas componere. At cum Sceptium eã transtulisset, posteris suis imperitis hominibus legaut, qui eam nec in ullo honore precióque habuerunt, nec in loco idoneo reposuerunt. Postea uerò quàm reges Attalicos, quorum iuris erat illud oppidum, dare operam senserunt, vt libros ad ornamentũ Pergamenæ bibliothecæ compararent, in fossa quadã eos occultarunt, in qua cum & situ obducti & à tineis corrosi fuissent, tandem aliquando ij qui propinquitate eum attingebant Aristotelis Theophrastique libros Apelliconi Teio magno precio uendiderunt. Quoniam autem in Apellicone maior librorũ quàm sapientiæ inerat cupiditas, & studium, ob eam causam cũ ea uellet quæ aut situ obducta aut à tineis corrosa erant, corrigere, codices nouos descripsit, nec quæ deerant, recte expleuit. Ita libros errorum plenos edidit in lucem. Ex quo etiam factum est, ut ueteres Peripatetici ij qui Theophrastum consecuti sunt, cùm libris omnibus paucis exceptis in quibus ij quos ἐξωτερικὸς inscripserant, carerent, non possent de ea parte philosophiæ quæ in rebus singulis & actione uersatur disputare, sed de propositis tenuiter. ij autem qui post illos fuerũt, ex quo ij libri exierãt in uulgus,

melius hi quidem quàm illi de philosophia disserebãt, Aristotelemque imitabantur in disputando: sed tamen multis in rebus ueri similitudinem disputantes sequi cogebantur propter errorum multitudinem. Multum etiam Rome ad hoc malũ accessit. Sylla enim captis Athenis, simul atq; Apellico è uita excessit, in eius bibliothecam inuasit, qua Romam perlata, & Tyrannio grammaticus cum Aristotelis studiosus esset, eũq; qui bibliothecæ præfectus ~~ac officijs~~ erat conciliasset, & librarij exceptoribus usi imperitis, nec inter se libros conferentes, eos corruperunt. Quod etiam alijs libris qui uẽduntur, & hic & in Alexandria usuuenit. Ac de his quidem satis multa diximus. Atque hæc quidem Strabo, quæ de græcis transtuli. Nos autem quàm malè inter se hi duo tui fabulæ auctores, consentiant, uideamus. Strabo primum ab Apellicone, deinde Romæ à Tyrannione gammatico deprauatos fuisse dicit, Plutarchus ab Andronico Rhodio. Plutarchus ab Andronico digestos in tabulas, Strabo ipsos libros prolatos in lucem fuisse commemorat, nulla tabularum facta mentione. Vtri credemus? Nam te uidemus, dum utriusque auctoritatem sequi uis, neutri fidem habere. Vtrunque dicis scribere, ueteres Peripateticos caruisse omnibus sui principis libris, quod neuter asserit. Strabo enim eos qui ἐξωτερικοὶ inscripti sunt, excipit, Plutarchus in multis tantum eos libris negat multum diúque uersatos. Tu ab Apellicone omneis corruptos esse scribis, Ciceronẽ-

que ueros uis legisse, qui uix erat natus cum eos corrupit Apellico. Strabo nec omneis nec totos ab eo corruptos esse commemorat, Plutarchus non eos corruptos, sed solum interuersos à Tyrannione. Impostorē tu Aristotelem appellas. Quid est alijs imponere, si hoc nō est? Nō te pudet? nulla tibi religio est, tot adolescētes, tot homines, quātum in te est, in eum impellere errorē, ut quā tot iam seculis insitam in animo habent de Aristot. libris opinionem, eam eijciant, & stirpitus euellant? idque duorum qui de toto genere non confirmant, secuti auctoritatem? Primum enim eos Strabo, ut docui, qui ἐξωτερικοὶ inscripti sunt, & quosdam Plutarchus excipit. Deinde cum scribit Strabo Apelliconem ea quæ corrosa erāt à tineis & situ obducta, restituisse, an multa essent eiusmodi, incertum est. Quanquam pauca fuisse hinc intelligi potest, quòd si multa fuissent, ne doctissimi quidem homines multi rimas unquam explere potuissent, nedum potuerit ille Apellico, quem uix mediocriter eruditum Srabo uult fuisse. Sed ut demus fuisse multas rimas, certè multo plures fuerint integræ quàm decurtatæ sententiæ necesse est. Atqui omnes uidemus eiusdem styli esse, unius eiusdémque orationis. Quod si in tabulas contractos ab Andronico eos quos iam Apellico deprauauerat, fuisse dicas, primum solus hoc dicit Plutarchus, non etiam Strabo, id quod uis. Deinde Cicero ueros ut scribis germanósque legit. Sed fac utrúque hæc omnia tradere quæ scribis, tantumne, quæso,

apud te hi duo habent auctoritatis ut eis habeas fidem: Porphyrio, Alexãdro Aphrodisieo, Philopono, Eustratio, Themistio, Ammonio, Simplicio, Psello, Augustino, Boethio, aliisque innumerabilibus, qui Aristotelis illius qui Platonem audiuit, opera esse dicunt, non habeas? Illos in philosophia adeo occupatos fuisse putas, ut eis Plutarchi & Strabonis libros legendi ocium nullũ suppeteret? Si legerunt, sicuti certe legisse uidentur, cur hos Arist. mutilos & decurtatos, ut illi tradunt, non crediderunt fuisse, nisi quòd re ipsa nihil in eis deesse, nihil desyderari perspexerant? & hanc esse fabulam, quam inimici in eum confinxissent compererant? Et nimirum si quis eius libros omneis diligenter euoluat, & examinet, omnia sic apta esse inter se, omnia sic cohærere animaduerret, ut nihil addi, nihil demi posse uideatur. Res uerò ita longa oratione tractantur, ut germani libri sint, non tabulæ, in quas Andronicus opera omnia ab illis cõtuliſſe dicitur. Aliud est enim libros scribere, aliud tabulas conficere. Nam qui libros scribunt, rem quam sibi proponunt, eáque omnia quæ ad illam quodammodo affecta sunt, multis rationibus concludunt & confirmant: Qui autem tabulas conficiunt, summas tantum rerum persequuntur, rationes aut nullas, aut certe raras eásque breuissimas afferunt. Quis autem eorum librorum Aristotelis quos habemus, non iustum uolumen uidetur? Compara cuiusuis breuitatem cum Platonis, cum Theophrasti, cum Ciceronis libris: eorum lõ-

giorem nullum perſpicies. Confer eorum inter ſe rationes, quibus aliquid probant, aut refellunt, nec numero Ariſtot. nec magnitudine uincentur. Atque ut ad rem propius ueniamus, Platonis de Repub. libros cum Ariſtotelis de eadem re libris compara. Ille decē ſcripſit, hic octo. Ille decem ſuos centum paginis, hic octo ſuos ſeptuaginta complexus eſt. Vides parem fere numerum paginarū totidē libris utrunque feciſſe. Confer cæteros inter ſe, eandem inuenies proportionem. Eadem eſt etiam Theophraſti librorum ratio, & ſententia. Decē enim de ſtirpibus reliquit, quos centum paginis concluſit, Ariſtot. totidem de hiſtoria animalium ſcripſit, qui totidē paginis cōtinētur. Quæ cū ita ſint (neque enim de ſingulis dicendū arbitror) cur Platonis & Theophraſti libros perfectos dices, Ariſtotelis negabis? cur Ariſtotelis tabulas, illorum libros nominabis? Sed in hac calumnia, quam ſibi male conſtent auctores, operæ preciū eſt cognoſcere. Tu à Cicerone lectos germanos libros ais, Plutarchus & Strabo (hoc enim tibi do) ab Apellicone primum corruptos, deinde ab Andronico in tabulas contractos eſſe memoriæ, ut uis, mandarunt. Primum tabulas iſtas, ut docui non uidemus, ſed perfectos & abſolutos libros, quod etiam Strabo ſcribit. Deinde ſi germanos legit, ut uis, Cicero, non eos Apellico qui exceſſerat è uita ante natum ferè Ciceronem, corrupit. Quod ſi ita eſt, quî fieri poteſt quin ſecū diſcrepent & diſſentiant hæc quæ ſcribis, Sexcentis annis, (quibus

Aristotelis ætas ab Alexandri Themistÿque primorũ Aristotelis interpretum ætatibus disiuncta est) Arist. doctrinam primum â Peripateticis in miscellaneas scholas confusam cùm libris sui principis carerent: deinde libros illos ueros ab Apellicone corruptos, tandem ab Andronico in tabulas contractos, ut Plutarchus Strabóque scribunt. Si enim sexcentis annis, ut uis, Alexandro & Themistio maior fuit Aristoteles, in quo tamen falleris inscitia temporis, & Cicero germanos eius libros legit, quo tandem pacto illo medio & interiecto tẽpore, & peripatetici sui principis libris caruerunt, quibus non caruit Cicero: & ab Apellicone corrumpi potuerunt, in Græcia, qui Romæ erant, atque in Tusculano: & in tabulas contracti sunt qui à Cicerone possidebantur? Deinde quo pacto Aristotelei carere potuerũt sui principis libris, quos tua confessione nondum Apellico deprauauerat? quos nondũ Andronicus in tabulas contraxerat? Ais enim primum Aristoteleos cum illius libris carerent, eos in miscellaneas nescio quas scholas confudisse: deinde Apelliconem corrupisse, postremo Andronicum in tabulas contraxisse. Postremo ut dem fuisse corruptos, quod non ait Plutarchus, at non omnes certè fuerunt. Plurimos tantum, non omnes in Apelliconis bibliotheca fuisse Plutarchus cõmemorat. Si plurimi, quos tandem fuisse dices? eósne qui ad dialecticam pertinent? At Plutarchus non eos nominat. Cur ergo hos potissimum corruptos fuisse dicis, quos

nemo unquam dixit fuisse? Quem autem Apelliconem istum uis fuisse? Tám.e potentem, ut pro suo iure capite punire posset eos, qui non omnes Aristotelis libros, quos ad multos peruenisse intelligeret, ad se afferrẽt, & mitterent? Quòd si neminem hominem tanta fuisse authoritate aut potentia præditum illis temporibus scimus, ut id obtinere posset, quî fieri potuit, ut omnes fuerint ab isto Apellicone corrupti? Fac eum corrupisse suos. quomodo alienos potuit? quomodo eos qui erãt in Macedonia? qui Epheſi? qui Rhodi? qui Romæ? qui ubique terrarum? præsertim cum ueri simile non sit eis caruisse Peripateticos multos uiuo etiam Aristotele, qui in epistola ad Alexandrũ se edidisse dicit. Vides quã hæc fabula tua male cohæreat. uides hæc esse ineptiarũ anilium & delirationũ similia. Adeóne quenquã amentem, stultũ, & puerũ putas, ut tibi hæc iã asserẽti fidẽ habeat? At stylus & genus dicẽdi, quod in istis libris est, eos Aristotelis illius cuius aureum flumen orationis miratur Cicero, non esse indicat. Hoc enim est in quo tua uehemẽter exultat oratio. De quo antè q̃ dico, hoc iure dicere possumte in hoc incõstãtiæ crimen effugere nõ posse. Principio enim libri tui, Aristotelem dicis antiquum inuestigãdæ ueritatis morem, quem quoad uixit retinuisset, scriptis suis ita perturbasse, ut non Dialecticam posteritati tradere, sed inuidere atque eripere uideatur. Et paulò infrà, Aristoteleos ais sexcentis post Aristotelem annis, exercitationem non qualis ille uiuus usus fuerat, sed quã

in libris corruperat, secutos, rem totam ad fatuam puerilemq; infantiã deduxisse. Atq; hæc quidẽ hoc loco de germanis eius libris & sentis & dicis. In extremo autẽ libro loquens de ijs quos habemus, dicis eos tam dementes Aristoteli falsò attributos esse: nec tam ieiunas, tam aridas spinas Aristotelis eloquentiæ conuenire: flumen Aristotelis aureum, & incredibilem dicendi facultatem copiamque tot locis à Cicerone celebratam, ingratis, asperis, strigosis sophismatis similẽ non esse. subditiias & translatitias nugas, non Aristotelis uigilias esse. Hæc tota oratio sibi constare non potest. Primum enim aliter eum uiuum docuisse confirmas, aliter autem scriptis tradidisse. Quis hoc cognito, eius se in disciplinã tradere uoluisset? præsertim cum uiuus libros suos ediderit. An non epistola Alexandri facile id indicat, qua eum conqueri uidemus, quòd ea quæ ab illo docente didicerat, libris suis cum omnibus communicaret? Sed hoc tibi ut minus cauto & memori (quod in mendaci desyderatur) condonemus. Qua autem oratione defendere illud potes, quin sit summæ inconstantiæ, quòd Aristoteleos dicis initio libri exercitationẽ quam libris corrupisset, secutos, ad fatuam puerilemque infantiam traduxisse? cum extremo eodem incredibilem ei decendi facultatem copiamque, & aureum eloquentiæ flumen tribuas? Si enim tam eloquens fuit, tantámque dicendi copiam in suis libris expressam reliquit, Aristotelei ab eo fatuam, ut uis, puerilemque infantiam mini-

mè didicerunt. Præterea cũ Aristoteleos sexcentis post Aristotelem annis id perfeciſſe commemoras, id etiam dicis, ab Aristotelis ætate ad ſexcenteſimum annum libros eius incorruptos fuiſse, quod ſuperiori orationi tuæ repugnat. Eſt ne hæc eius qui ſe pro ueritate pugnare profiteatur oratio? Vbi eſt illa animi conſtantia, ad quã tuos adhortaris, ut ſi pro decretis tuis ſit moriendum, æquo animo fortiterque occumbant potius, quàm deducantur de ſententia? Ab inconſtantiæ crimine me ad dictionis genus confero. de quo ita iudicas, ut ſi literis græcis eſſes eruditus et doctus. Si tabulæ ſunt Andronici, ut uis, non Ariſtot. libri qui extant, nec Cicero qui multos locos ſe ab Aristotele tranſtuliſſe ſcribit, nec Plinius aliquid earum uertere potuerunt. Nam & ueros germanósque libros eius Cic. tua etiã cõfeſsione, legit: & Plinii ætate nondum in tabulas illi contracti erant: aut ſi contracti erant in Græcia, at Romæ certé non erant, ſed ueri extabant. Quid enim impedimento fuit, quo minus ii quos & Cicero & Cato & plerique alii docti uiri habebant, octoginta annis integri & incolumes permanerent? Quid autem ſi integras perfectásque ſententias á Cicerone uerſas eſſe doceam iiſdem pene uerbis, quibus in iis quos trãslatitios uocas, uidemus? Quid ſi á Plinio totas interdum paginas translatas eſse demõſtrem? an non hos ueros & germanos neceſse erit te confiteri? Initium ſumam ab iis de arte rhetorica libris, quos deſpicis. Principiũ totius libri hoc eſt, Ἡ ῥητορικὴ ἐστιν ἀντ-

Ἀριστοφῶν τῇ διαλεκτικῇ. *Hoc in libro de oratore ad Brutum uertit his uerbis, Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit illã artẽ quasi ex altera parte respõdere dialecticæ. Illud etiam quod mox sequitur,* τῶν μὲν δὴ ἄλλων οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα σφάλλονται, οἱ δὲ μὴ δι' ἀγνοιαν ἀλλ' ἕξεως. ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι ἐστὶν αὐτὰ καὶ ὁδοῦσιν ἴσως. εἰ δ' ὅλως ἐπιτυγχάνουσιν οἵτε δι' ἀγνοιαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου, τίνα ἂν τέχνην θεωρεῖν ἐνδέχεται. *hoc inquam Cicero tertia fere pagina libri secundi de oratore imitatus est: Huius rei scientiam si quis uolet magnam quandam artem esse dicere, non repugnabo. Etenim cum plerique temerè ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter cõsuetudinem aliquam callidius id faciãt: nõ est dubiũ, quin si quis animaduerterit quid sit, quare alij melius quàm alij dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non planè artem, at quasi artem quandam inuenerit. Quintilianus eam quam rhetoricæ statuit definitionem his uerbis,* Ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, *sic interpretatur, Quidam recesserunt ab euentu, sicut Aristoteles, cum dixit, uim esse dicendi quid in quaque re possit esse persuasibile. Longum etiam locum hunc eiusdem primi libri,* τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δ' ἔντεχνοι. ἄτεχνοι

δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ πρόχειρα, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί. ἔντεχνα δέ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δ' εὑρεῖν, uertit Cicero in secundo de oratore libro, Ad probandum autem duplex est oratori materies, una rerum earum quæ non excogitantur ab oratore, sed in re proposita ratione tractantur, ut tabulæ testimonia, pacta, conuenta, quæstiones, leges, senatusconsulta, res iudicatæ, decreta, responsa, & reliquæ si quæ sunt quæ non ab oratore parantur. sed ad oratorẽ à causa atq; à reis deferũtur. Altera est quæ tota in disputatione et argumẽtatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumẽtis in hoc autem etiã de inueniẽdis cogitãdũ est. In partitiones hæc omnia ab eodẽ transtulit. C. F. Quid habes igitur de causa dicere? C. P. Auditorũ eam genere distingui. Nã aut spectator est modo qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiæq; moderator, ita ut delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autẽ aut de præteritis, ut Iudex: aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis, αὐλητικὴ δὲ τὸ ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτήν. κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. ἔστι δ' ὁ μὲν περὶ τὰ μελλόντων, κρίνων, οἷον ἐκκλησιάσης. ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής. ὁ δὲ περὶ δύναμιν, ὁ θεωρός. ὥστ' ἐξ ἀνάγκης αὖ εἶη τρία γένη τοῦ λόγου τοῦ ῥητορικοῦ, δικανικόν, συμβ-

λυπηρὸν, ἐπὶ δεικτικὸν. *Si omneis locos uelim perſequi quos uel ab arte rhetorica ſumpſit, nullus erit finis. Paucos ex tertio proferã.* Τῶ δ' ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῶος σεμνὸς δὲ λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δ' ἴαμβος, αὐτὴ ἐστὶν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δ' σεμνὸν τέρπειν ἡδονὴν καὶ ἐκπλῆξαι. ὁ δὲ τροχαῖος, κορδακικώτερος. διὸ λαβεῖν δὲ τὰ τετράμετρα. ἔστι μὲν τροχαῖος ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα, λείπεται δὲ παιᾶν, ᾧ ἐχρῶντο μὴ ὡς ἐν ἀπορρήτῳ ἀρχὴ θρασυμάχου ἀρξάμενοι, διὰ τοῦτο δὲ λέγουσί τινες λῶ. ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιὰν δ' ἐχόμενος τῶν εἰρημένων. δίο δὲ πρὸς δύ' ἐστιν. ἐκείνων δὲ ὁ μὲν εἷς πρὸς ἕν. ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν τοιούτων ὁ ἡμιόλιος. ἔτος δ' ὅσον ὁ παιάν. *Hæc ſunt in oratore ad Brutum, Quod longe Ariſtoteli uidetur ſecus, qui iudicat Heroum numerum grãdiorem quàm deſideret ſoluta oratio. Iambum autem nimis è uulgari eſſe ſermone. Ita nec humilem, nec abiectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat: plenam tamẽ eam uult eſſe grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admirationem poſsit traducere. Trochæum autem, qui eſt eodem ſpacio quo Choreus, cordacem appellat, quia contractio & breuitas dignitatem non habeat. Ita pæana probat, eóque ait uti omnes, ſed ipſos non ſentire cum utantur, eſſe autem tertium ac medium inter illos: ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus inſit aut ſeſquiplex aut duplex*

aut par. Sũt etiam alij loci, quos in libro eius rei proprio proferre constitui. Atque hi sunt omnes ex arte rhetorica. Quot autem ex alijs eius libris cõmemorare possum? Vis ex libris de moribus, uis ex Topicis, uis ex libro de interpretatione, ex libris de iudicio posteriore, ex libris de ortu & historia animalium, ex quæstionibus quæ problemata uocantur, ex cæteris etiã deniq; locos proferam? Vereor equidem, ne & proferendo, satietate afficiam: & prætermittẽdo, rem minus certam exploratãque reddam. Itaque in eam partem quæ tutior est peccare malo. Proferam ergo, sed modum adhibebo. Ex multis paucos commemorabo, ac primum ex libris de moribus, Cicero in quinto Tusculan. quæst. insignem hanc sententiam, Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates, pene ad uerbum ex primo lib. expressit, Ὡς δὲ τὴν ψυχὴν ἔτως. *Ὡς τὰ ἐναντία ἀλλ' αἱ ὁρμαὶ τῶν ἀκράτων. antecedit uerbũ,* παραφέρονται. *Illa etiam præclara sententia, quæ est apud eum in Lælio, Rarum istud genus, & quidem omnia præclara rara, in secundo libro posita est,* διόπερ ὅστις τε εὖ καὶ σπουδαῖον καὶ ἐπαινετὸν ὅλως καλῶς. *Est etiam illa, Est enim is amicus quidem, qui est tanquam alter idem. In nono enim totidem pene uerbis exposita est,* ἔστιν γὰρ ὁ φίλος, ἄλλος αὐτός. *Atque etiã Prouerbiũ illud ab eodem transtulit, Verumque illud est quod dicitur, Multos modios salis simul edẽdos esse ut amicitiæ munus expletũ sit. In. 8. sic expressum est,*

τῷ πλὴν παροιμίαν φῂς, ὅτι οὐδεὶς οὕτω ἀλλήλοις πέλας οὐδ' ὅμοιος ὡς αὐτὸς ἑαυτῷ ἔλεγε, ὅτι οὐδὲ πρὸς ἑαυτὸν οὕτως ἔχει, ὅτως πρὸς τὸν φίλον. Nec enim illa prma uera est, ut quẽ admodũ in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quid dicã de hac præclara sententia? Quippe cum propter uirtutẽ & probitatẽ etiam eos quos nunquam uidimus, quodammodo diligamus: quæ est in octauo his uerb. exposita, ἅ μοι γάρ φαίνεται εὖ νοι, οἷς οὐκ ἑωράκασιν, ὑπολαμβάνοιεν ἂν ἐπιεικεῖς εἶναι. Aut de illa quæ in libro de Senectute est? Nemini censebat dubium fore, quin tandiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conse qui poſset: quam transtulit à sept. ὃ δεῖνα μὴ διανοοῖτο ἂν ἐν αὐτῇ. Eodem modo de hac iudicãdum est, Atqui si uoluptas, quæ plurimorũ patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est: eáque quo est maior, eo magis mẽtẽ ex sua sedẽ et statu dimouet. explicata est enim in tertio, κἂν μεγάλαι ὦσι φορτία, ἐκ τοῦ λογισμοῦ ἐκπεσόντα. Addi hæc etiã potest, Quoniam nulla possessio, nulla uis auri & argenti, pluris quã uirtus æstimãda est, ὃ τῷ πρὸς χρήματα ἡ ἀξία μεῖζον, ἢ μικρὸν ἰσόρροπον ἢ ὅτι οὐ γείτων. Neq; uerò hæc de bonis externis prætermittẽda est, Vter igitur est ditior? cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abũdat? cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuẽdam, an quæ suis se uiribus sustinet? Hoc postremũ est in octauo libr. ὅσῳ μᾶλλον, ὅσῳ τῷ ἐπισφαλεστέ-

ρα. Præclara est illa quoque Arist. sententia, Sed ut ijs bonis erigimur, quæ expectamus: sic lætamur iis quæ recordamur. Lege enim nonum librũ, eam inuenies his uerbis explicatam. τῶντε γὰρ πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς ἀναμνήμαται, καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί. Quid multa? Nulla est fere pagina horum librorum, ex qua non aliquid Cicero sumpserit. Sequitur ut ex Topicis quædam afferamus. Argumentorum quidem nomina eadem esse docui, cum utriusque inter se Topica cõtũlerem. Locum autem comparationis ab illo Cic. transtulit. In quo primũ illud, Numero sic cõparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponãtur, iisdẽ uerbis expressum est in tertio, τὰ πλείω ἀγαθὰ τῶν ἐλαττόνων. s. ἀρετῶτρα. Deinde hoc, Diuturniora bona breuioribus, ἢ πολυχρονιώτερον ἀρετῶτρον τοῦ ἧττον διάρκες. & magis ad uerbũ in. i. de arte rhetorica ἢ τὰ πολυχρονιώτερα τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων. Illud etiam est in eodem tertio, Ex quibus plura bona propagantur, ὧν ἔστιν μεῖζον ἀγαθόν, ἀρετῶτρον: nisi quòd μεῖζον est pro πλεῖον. Iã illud, Quæque plures imitẽtur & faciant, ex eodem etiã lib. sumptũ est, ὅσα ἢ πλείους ἢ οἱ πάντες, cum anteceserit uerbũ ἐπαινῶ ἄν. quod sequi interdum ualet. In secundo genere comparationis illud primum, Anteponuntur quæ propter se expetenda sunt, iis quæ propter aliud, iisdem uerbis est in eodem lib. explicatum, καὶ δι' ἑαυτὰ ἀρετὸν τοῦ δι' ἕτερον ἀρετοῦ ἀρετῶτρον. Hoc etiam, Natura-

lia non naturalibus, ἢ τὸ φύσει τοῦ μὴ φύσει. In tertia autem comparatione, in qua uis cernitur, primum illud, Efficiens causa grauior, quàm non efficiens. ita in eodē lib. expressum est, ἓν μὲν εἰ τὸ μὲν ποιεῖ ἀγαθὸν τὸ ἔχον-τα, τὸ δὲ μὴ ποιᾷ, δι' ὃ τοῦτο αἱρετώτερον. Item hoc, Quæ seipsis contenta sunt, meliora, quàm quæ egēt aliis: est id quidem in eodem libro, sed pluribus expositum, ὃ ὅταν τοῦ ἐχόντων μηδὲν δι' ἑτέρου δεόμεθα, ἢ ὃ ἐ-χοντος προσδεόμεθα τοῦ λοιποῦ. Sunt & alii permulti, quos inde Cicero mutuatus est: quos ne sim longior, prætermitto. Restat ut ex libris de historia animalium nonnihil proferamus. In lib. nono hoc scriptū est, quod in secundo de natura deorum libro Cicero, de aue quam Patellā uocat, commemorat, Eademque hæc auis scribitur conchis se solere complere: eásq; cum stomachi calore concoxerit euomere, atque ita eligere ex iis quæ sunt esculenta, οἱ ὃ τελειωθέντες ἐν τοῖς ποτα μοῖς γινόμενοι, καταπίνουσι τὰς μεγάλας κόγχας ἢ λείας, ὅταν δ' ἐν τῷ πεπτῷ τῆς κοιλίας ὄπῳ πεμφώσιν, ὀξεμβαῖνα χαράσσουσιν, τὰ κρέα ἐξαιροῦντες, ἐσθίουσι. In eodem libro hoc quoque Ciceronis expressum est, Capras autem in Creta feras cum essent confixæ uenenatis sagittis, herbam quærere, quæ dictamnus uocatur: quā cum gustauissent, sagittas excidere dicūt ἐ corpore, ἐν Κρήτῃ φασὶ τὰς αἶγας τὰς ἀγρίας, ὅταν τοξευθῶσι, ζητεῖν τὸ δίκταμνον. δοκεῖ γοῦν ἐκ-βλητικὸν εἶναι τῶν ἐξωθουμένων ἐν τῷ σώματι. Quæ

de gruibus obseruata scribit ab ipso Aristotele, in eodē nono lib. posita sunt. Quæ autē Plinius ex iis libris sumpsit, ea si uelim commemorare, libri quatuor, iique bene longi scribendi erunt. Omnia enim pene ad uerbum expresit. Quæ aues et animalia inter se dissideāt, & quæ inter se conueniant libro decimo extremo docet his uerbis Plinius, Ergo & alios sensus quosdam esse quàm supra dictos, haud difficulter apparet. Sunt enim quædam his bella amicitiæque: unde & affectus præter illa quæ de quibusque eorum suis diximus locis. Dissidēt olores & aquilæ, coruus & chlorius, noctu inuicem oua exquirentes. Simili modo & coruus & miluus, illo præripiente huic cibos. cornices & noctua, aquilæ & trochilus, si credimus, quoniam rex appellatur auium, noctuæ & cæteræ minores aues. Rursus cum terrestribus mustella & cornix. turtur et pyralis. ichneumones, uespæ: phalanges, aranei. aquaticæ anates & gauiæ, & harpæ. triorches accipiter, Sorices & ardeolæ inuicē fœtibus insidiantes. Aegithus auis minima cum asino. Spinetis enim se scabendi causa atterētes, nidos eius dissipant. quod illa adeo pauet, ut uoce omnino rudentis audita, oua eiiciat, pulli ipsi metu cadant. Igitur aduolās ulcera eius rostro excauat. Vulpes & milui, angues & mustellæ & sues. Aesalon uocatur parua auis, oua corui frangens. cuius pulli infestantur à uulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipsámque uellit. Quod ubi uiderint corui, contrà auxiliātur, uelut aduersus communem ho-

ſtem. Et acanthis in ſpinis uiuit. Idcirco aſinos & ipſa odit, flores ſpinæ deuorantes. Aegithum uerò anthus intantum ut ſanguinem eorum non credant coire, multísque ob id ueneficiis infament. Diſsident thoes & leones, & minima æquè ac maxima. Hæc omnia ſunt apud Ariſtotelem initio libri decimi de animalium hiſtoria, ſed pluribus uerbis expoſita ſunt, quòd inimicitiarum & amicitiæ cauſas quas prætermiſit Plinius, explicat. Hoc etiam intereſt, quòd Plinius non ſeruauit ordinem. Ego eũ ordinẽ, quem Plinius ſecutus, eſt. ſeruabo: quò facilius et hæc inter ſe cõiũgi poſsint, & nobis, id quod uolumus, habeatur fides. μάχη δ αἰετῷ κύκνῳ, ἰκτῖνος ὑπὲρ κύκνου ἁρπάσαι τὸν κύκνον ὁ ἰκτῖνος, ὅλως ἂν ἔχῃ. καὶ κορώνη γλαυκὸς. ὁ σίφη καὶ ζοχίλος αἰετῷ πολέμιός ἐστι. τὸν ὑπὲρ ἡμέρας ὁ τὰ δύνα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα πολιπέτην, ὃν καλοῦσι θαυμάζειν, μὴ πεφωτισμένα τίνων. πολέμιος ὑπὸ ὁ περίσσευς καλούμενος, ὁ γαλῆ μὴ κορώνη. φυγὼν καὶ πυραλίς. καὶ ἰχνεύμων καὶ φάλαγξ. ἔτι οἱ ἀπὸ τῆς θαλάττης ζῶντος ἀλλήλοις. δὶ βρένθος καὶ λάρος καὶ ἄρπη, τερόρχης ὑπὸ καὶ φρυνὸς. αἰγίθου δὲ καὶ ὄνου πόλεμος, ὅτι τὰ παριόντα τὸν ὄνον ξύεσθαι εἰς τὰς ἀκανθας τὰ ἔλκη. διὸ τε οὖν ἂν ὀκνήσῃ, ἐκβάλλει τὰ ὠὰ καὶ οὐ νεοττούς. φοβούμενοι γὰρ ἐκτίκτουσιν. ὁ δὲ ἀηδὼν τοῦ ἑλκεῖν παύεται κολάπτῃ ἐπιπεσόμενος

τὰ ἕλκη ἀυξᾷ. ὄφις ὑ γαλῆ καὶ ὑὶ τῶ πολέμιον. καὶ αἰσάλφον ἀλώπεκι πολέμιῳ. τύπῃ γὰρ καὶ πλῇ αὐτῶ καὶ τὰ πνεύματα ἀποκτείνει. διὸ βοηθεῖ τυπτομένῃ αὐτῇ. ὄνῳ δὲ ὁ ἀκανθίδες πολέμιοι. αἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ ἀκανθῶν βιοτεύουσιν, ὁ δὲ ἀπαλὰς ὅσας ἐσθίῃ τὰς ἀκάνθας. ὁ αἴγιθος ἡ ἀκανθὶς καὶ αἴγιθος. λέγεται δ' ὅτι αἰγίθου καὶ αἰγίθου αἷμα ὁ συμμίσγεται ἀλλήλοις, πολέμιοι δὲ καὶ ὁ λέων καὶ ὁ ἰὼς ἀλλήλοις. *Atque hæc quidem satis multa esse possunt ad probandum eos libros quos habemus Arist. germanos esse libros, non tabulas, in quas illi collati & contracti fuerint: quippe cum hæc ferè ad uerbum Plinius longa oratione persecutus sit: quod non potuisset, si tabulæ tantùm fuissent. Quò autẽ res sit testatior, aliquid præterea afferã. De Halcyonibus hæc scribit libr. x. idẽ Plinius, Eóq; maximè sunt insignes halcyones. Dies earum partus qui maria quoq; nauigãt, nouere. Ipsa auis paulo amplior passere, colore cyaneo, ex parte maiore, tantùm purpureis & cãdidis admixtis pennis, collo gracili ac procero. Alterũ genus earum magnitudine distinguitur & cantu: minores in arundinetis canunt. Halcyonem uidere rarissimum est, nec nisi uergiliarũ occasu, & circa solstitia brumámue, naue aliquando circumuolata, statim in latebras abeuntẽ. Fœtificat bruma, qui dies halcyonides uocantur, placido marí per eos & nauigabili, Siculo maximè. In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utiq;*

tractabile. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt. Nidi earum admirationem habent, pilæ figura paulùm eminenti, ore perquàm angusto, grandium spōgiarum similitudine. Ferro intercidi non queunt, franguntúrque ictu uali do, ut spuma arida maris: nec unde confingantur, inuenitur. putant ex spinis aculeatis. Piscibus enim uiuunt. subeunt & in amnes. pariunt oua quina.

Ἡ δ' ἀλκυὼν, ἔστι μὲν ὀ τοῦ Μῶ μείζων τὸ σῶμα, τὸ δ' ὄ χρωμα καὶ κυανοῦν, ἔχει δὲ χλωρὸν καὶ ὑποπόρφυρον, μεμιγμένως δὲ τοιοῦτο τὸ χρῶμα πανταχοῦ. αἱ πέρυγες μὴ τὰ πολὺ τῆς οὐρᾶς μᾶλλον, ὑπερέχουσαι ἑκάστου τῶν χρωμάτων. καὶ ἡ μὴ φθέγγεται καθιζάνουσα ἐπὶ τῆς δονακῶνος. ἡ δ' ἄφωνος. ἔστι δ' ἄντη μείζων πάντων δὲ τοῦτο ἰδεῖν ἀλκυονάς. χαλὸν γὰρ τοῦτό τὸ ἄθλον δύσιν μὴ ζοπὰς ὁρᾶν μόνον, καὶ ἐν τοῖς ἀφόρμοις πέδοις ὄζον πολὺ παμένη πολὺ δ' πλοῖον ἀφανίζεται ἐνθύς. τίκτουσι δὲ πολὺ ζοπὰς χειμερινάς. διὸ καλοῦνται ὅταν ἐνδιδυσκωσι γένωνται αἱ ζοπαὶ, ἀλκυονόδοι ἡμέραι. πολὺ μὲν οὖν τοῦτ' ἐνταῦθα τοῦτο δὴ αἰεὶ συμβαίνει γίγνεται ἀλκυονίδας ἡμέρας πολὺ πρὸ ζοπάς. ἐν ᾧ σικελικῷ πελάγει, χαλεπὸν αἰεί. λέγεται δὲ ἐπὶ μὲν ἡμέρας τοιεῖσθαι τὴν νεοττίαν, ἐν ᾗ ταῖς λοιπαῖς ἐπὶ ἡμέρας πέντε ἐκπέφυκε τὰ νεόττια. ἡ δὲ νεοττία παρομοία ταῖς σφαίραις, τὸ δὲ σῶμα στενόν, τὰ δὲ κῶλα παρα πλήσια ἔχει τοῖς πόδας, κόπτουσι μὲν σιδη-

ρίφ ὀξεῖ ὁ ταχὺ διακόπτεται. ἅμα δὲ κόπτονται τοῖς χοροῖ θραύονται, ταχὺ διαθραύεται ὥσωρ ἡ ἀλεκτρύων. ἁπρεῖται δ' ἐν τίνῳ ζωτίωσι τῷ νεοττίαν. δοκεῖ ὃ μᾶλλον ἐν τῷ ἀναιθῶν τῷ θελο-νης. ξῆ δ' ἰχθυοφαγοῦσα, ἀναβαίνῃ δὲ ἐς τοῦ ποταμούς. τίκτει δὲ πολὺ πέντε μᾶλλον ὠά.

Addi eodem possunt ea ferè omnia quæ de columbis, palumbibus, & passeribus idem ab Aristotele transtulit. Ab ijs, inquit, columbarum gesta spectantur maximè simili ratione. Mores ijdē, sed pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria. Coniugij fidem non uiolant, cōmunémque seruant domum. Nisi cælebs aut uidua, domum non relinquit. Amor utrique sobolis æqualis. Sæpe & ex hac causa castigatio, pigrius intrante fœmina ad pullos. parturienti solatia & ministeria ex mare. Pullis primo salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, præparantes tempestiuitatem cibo. Proprium generis eius & turturum, cum bibunt colla non resupinare, large bibere, iumentorum modo. Viuere palumbes ad tricesimum annum, aliquos ad xl, Arist. auctor est. Vno tamen incommodo unguium, eodem & argumento senectæ, qui citra perniciem reciduntur. Paulò post, Columbæ & turtures octonis annis uiuunt. Cōtrà passeri minimum uitæ, cui salacitas par. Mares negantur anno diutius durare, argumento, quia nulla ueris initio appareat nigritudo in rostro, quæ ab æstate incipit. Fœminis longiusculum spacium. Hactenus ille.

τοὺς τοὺς τὰς τοὺς ὄσιν ἕτερα διαύτὼ ἕαυτα τὼ ἡδονάν. ὅτε μὴ συναυξάεσθ ἥλιοι πλείοσιν, ὅτε προαπολέσωσι τὼ κοινωνίαν, πλὼ ἐαν χῆρ ἢ χῆρα λίπηται, ἑαύτε ἀπομαλακίζητ πρὸς τὼ εἴσοδον τ νεοπίαν, διαὐτε τὼ λοχείαν, τύπτ ἢ μὴ ἀναγκαλίζ εἰσιέναι. ἔστ δὲ τοὺς τὼ ὠδῖνα δεινὴ ἡ τ ἄρρενος ἡδονή πεια μὴ συναγαναλκτησις. γινομένων δὲ τῆ νεοττῶν, φρουτίξ τ ἁρμοττόσης τροφῆς ἧς δέομαι σασαμένη, εἰσπύ τοῖς νεοττοῖς διοιγυὺς τὸ σῶμα, πεπαραπυάζων πρὸς τὼ φοφιόν. ἴδιον δὲ τοὺς τοὺς τοὺς δοκεῖ συμβεβηκέναι τὸ μὴ ἀναπύπτειν, πυνόσας ἐαν μὴ ἱκανόν πόσι. ζῶσι δ' αἱ φωτ ἄλλω χρόνον, καὶ γὰρ εἴκοσιν ἔτη μὴ πέντε, ἃ τεταρακοντα ὠμμένειν εἰσὶν, ἔνιαι δ μὴ τεταρακοντα ἔτη. πρεσβυτέρων γινομένων, οἱ ὄνυχες ἀυξάνονται, ἀλλ' ἀποτέμνοσι τρέφοντες. ἄλλο δ' ὀδὲν ἁλάττον ἐπιδήλως γηράσκειν. Paulò post, μ αἱ τεττόνες δὲ ἃ αἱ τοὺς ζῶσι μ ὀκτὼ ἔτη. λέγουσι δέ τινες ἃ τῆ γεραιῶν ἐνιαυτ μόνον ξῆν τοὺς ἄρρενας. ποιέμενοι σημεῖον, ὅτι τὸ ἔαρ ὁ φαίνονται ἕαυτες εὐθὺς τὰ τοὺς τ πώγωνα μέλανα. τὰς δὲ θηλείας μακροβιωτέρας εἶναι τ γεραιῶν. Atque hæc quidē uerbū pro uerbo Plinium reddidisse, præter pauca quæ ab alijs sumpsit, animaduertimus, quod in alijs permultis factum ab eo docerem, nisi uererer, ne satietatem afferrem. Tu autem audebis, Rame, etiā tot prolatis locis, qui eos libros qui extant, Arist. esse pla-

ne & perſpicuè confirmat, negare? Ciceronem ueros libros legiſſe cõcedes, negabis Plinium? qui ætati Ciceronis ſucceſſit, præſertim cum ille Ariſtotelem ſecutum ſe eſſe ſcribat? Si à Plinio lectos eſſe fateris, fatere etiam hos eſſe germanos quos habemus. Etiã ne dictio te mouet? Tibine uidetur ſpinoſa & ieiuna Ariſtotelis, qua in his libris utitur, oratio? Mihi quidem Ariſtoteleam eloquentiam uideris non ex eius maieſtate & doctrina, ſed ex ea quæ in te eſt aut nulla aut certè perexigua græcarum literarum cognitione iudicare. Hoc profecto iudicium hominis eſt qui in græcis diu ſit multúmque uerſatus. Hoc literæ latinæ indicant, quæ cùm ſint multo faciliores, tamen de genere dicẽdi ſcriptorum latinorum uix qui decennium in eis conſumpſerit, certum aliquid pronunciare poteſt. Quòd ſi ita doctus es græcis literis, ut quid interſit inter genera dicendi græcorum, poſſis internoſcere, id quod per me tibi uendices licet, ac utinam iure poſſis, te oportuit non commoto animo, non incitata iracundia, ſed cohibito impetu ad iudicandum uenire. Quod ſi feciſſes, nunquã tam inconſultè, tam temerè inconſyderatéque iudicaſſes. Legiſſes enim primũ quæ Cicero ab Ariſtotele, quæ Plinius, tranſtulerunt, eáque inter ſe coniunxiſſes. Deinde genus eius dicendi cum Theophraſti dictione contuliſſes. Quod cum feciſſes, profecto nunquam efferbuiſſet ira, nunquam tantum impetum in Ariſtotelem feciſſes. Cum enim intelexiſſes & Theophraſti, qui à diuino ſermone nomen in-

uenit,& Aristotelis eandem esse orationem, si quos acerbitatis,inuidiæ, odiiq; aculeos in Aristotelem erexeras,eos nõ emisisses.sed reuocauisses. Hoc tu quoniã insatiabili quadam gloriæ cupiditate incitatus nõ feci-sti, nunc ego Aristotelis causa faciam ,ne si eum desertum esse patiar, ingratus haberi merito ac iure possim. Ego enim accurate græca cum latinis coniũgens, Theophrastum discipulum Aristotelis magistri similem esse uoluisse,& scriptione & dictione comperi. Nã & ijsdẽ prope de rebus scripsit,& eas res simili dicendi genere persecutus est. Itaq; libros de arte Rhetorica scripsit, in quibus illum imitatus est, ut ait Cic. de rebus naturalibus multa, de rebus cœlestibus quædam. qui quoniam soli eius libri extant, eum in illis ordinem docendi quem magister Aristoteles secutus fuerat, seruasse animaduertimus. De stirpibus & arboribus cũ scribit, genera in partes diuidit, singulæ partes arboris quot, quæ, quid sint,docet. Quid inter se differãt,tradit.sed hæc ita omnia persequitur,ut quæ in toto genere intelligantur primum, deinde quæ propria sint singularum partium exponat. Eam autem docendi uiã & rationem Arist. fere cum in libris omnibus, tum uel maximè in ijs quos de historia animaliũ scripsit, tenuit. Genus autẽ dicẽdi par fuisse in utroq; hinc sciri potest, quòd non solũ uerba singula,sed etiã cõiuncta usurpãt, eodem illa ordine collocant,ijsdemq; numeris utuntur. Cum autem singula eadem uerba, aut coniũcta utrunq;

uſurpaſſe dico, non omnia dico, (hoc enim fieri non potuit, cum uarijs de rebus ſcripſerint) ſed cum ea quæ rebus impoſita ſunt ijs quas tractauerunt, tum ea maximè quæ latè patent, fundanturque per omne genus diſciplinarum. Hoc docere ſingulatim non eſt huius temporis. Quædam afferre ſatis erit, ex quibus reliqua ſpectari poterunt. τὶ ὢν εἶναι, *pro rei ui & natura uſurpat in libro de rebus cæleſtibus,* τὰ καθόλου, καθόλου *aduerbium pro quo Cicero dicit generatim & uniuerſé.* τὰ ἄκρα *initio circumſcriptionis* ὃ *coniunctione ſequente ſæpe & in extrema parte ſequente* οὗ, *collocat.* ὅλως *etiam initio orationis* ὃ *ſequente,* χωδὶ *eodem loco.* ζητεῖν μᾶλλον. ἔχειν ὅτως. *Quoties dicit* ὡσαύτως τὰ πρὸς &c. *quoties* ὡς ἁπλῶς εἰ πεῖν, ὡς τύπῳ λαβεῖν. *Quoties* μὴ οὕτω *in priore loco, &* δὲ *in poſteriore: quã tranſitionem uocant? Iam uerò quoties* ἐπεὶ δὲ *priore loco, &* δὴ ταῦτα *poſteriore dicit? Quoties* ὁμοίως ὃ τόδ' ἔχει μὴ μᾶλλον τὸ λοιπῶν. ὁμοίως δὲ μᾶλλον τὴν δένδρων ἕξιν. ἀφορίζειν λόγῳ. ἀποδόναι, *pro explicare. Eodem modo iudicandum eſt de* ὅλως *& ἁπλῶς ad uerbijs, cum in multarum rerum enumeratione, uerbum generale, ne de omnibus ſigillatim dicat, uſurpat. Cuiuſmodi eſt illud ſecundi libri de cauſis ſtirpium,* περὶ δὲ τὰς βλαστήσεις μᾶλλον καθόλου τὸ δένδρων, μὴ ἁπλῶς τὸ φυτῶν, ὅσα μὴ πρόσθον εἴρηται, πειρατέον ὁμοίως ἀποδόναι, *id eſt, Quæ autem de arborum & uno nomine eorum omnium quæ oriuntur è terra germine fru-*

ctuúmque editione ſuprà non diximus, danda opera eſt, ea ut eodem modo explicentur. Paulò infrà, Μέγιστον μὲν οὖν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, παντὶ δένδρῳ ἡμέρῳ καὶ ἀγρίῳ, καὶ ὅλως ὑφ' ὑφυτῷ παντὶ πρὸς εὐβλαστίαν, καὶ εὐκαρπίαν, καὶ χειμῶνι χειμῶσιν ὡραίοις καὶ καλοῖς, id eſt, Maxima quidem in eo uis eſt, ut omnis arbor et domeſtica, & agreſtis, & omnino ea quæ terra edũtur, multa germina, multos nobileſq; fructus ferant, ſi hyems & tempeſtiua, & commoda contingit. Hæc autem ſunt Ariſtotelis omnia, aliáque permulta quæ proferrem, niſi in hoc loco longior & nimius uiderer. Quod crimen quò facilius effugiam, malo nonnullos utriuſque locos totos proferre, eoſque inter ſe cõiungere. Sic enim facilius omnes id uerum eſſe quod dixi, perſpicient, Ariſtotelis & Theophraſti uel idẽ uel certè ſimillimum genus eſſe dicẽdi. In ſecũdo de cauſis eorũ omniũ quæ terra fũdit, Theophraſtus hæc ſcribit, διαφοραὶ δὲ καὶ μᾶλλον ἡ γῆς ἢ τοῦ δένδρου, ὥσπερ καὶ τῶν ἀμπέλων. ταῖς μὲν ἡ πεδινὴ, ταῖς δ' ἡ ὀρεινὴ μᾶλλον ἁρμόττει· καὶ ἐν αὐταῖς ταύταις αἱ διαιρέσεις ταῖς διαιρέσεσι· μικραὶ δὲ παραλλαγαὶ φαινόμεναι. μεγάλας ποιοῦσι ῥοπὰς εἰς τὴν φύσιν. διὸ δ' ἁπλῶς, ῥᾴδιον εἰπεῖν, ὥσπερ καὶ πελεύουσι, τὰ μὲν σφόδρα καὶ πυκνὰ φυτεύειν. τὰ δ' ἀραιὰ ἐν ὑγραῖς ἐν ταῖς μαλακωτέροις. καὶ ἐφ' ὑγροτέρας. ἐν ἀραιοτέροις δ' ὄντως αἱ βοφαὶ δῆλον ὅτι σύμμετροι, ταῖς μὲν πολλὰν δεομένοις, ταῖς δὲ ὀλίγην. ὅ τε καθόλου λεχθὲν, ὡσαύ-

πολλῶν ἴσως τῶν δένδρων ἀληθὲς, ὅτι καθ' ἑκατέραν τὰς χώρας ἐπιτηδεία δεῖται τῶν δένδρων φυτεύειν. ἀλλ' ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα τὸ ἀκριβὲς μᾶλλον ἴσως ἀπαιτεῖται δεῖται συνέσεως. λόγῳ δὲ ὅτι εὐμαρὲς ἀφορίσαι. id est, Multæ autem sunt & terræ & arborum dissimilitudines, ut etiam uitiũ: quarum alijs planities camporum, alijs altitudo montiũ magis conuenit. atque in his ipsis aliæ alijs sunt aptiores Quinetiam parua mutatio maximum ad naturam momentum affert. Generatim autem & uniuersè facile est præcipere, id quod etiam præscribunt, eas quæ solidæ sunt & duræ, conserendas esse in siccis: eas autem quæ molles & humidæ, in locis mollioribus & humidioribus. Sic enim profectò utrisq; succus naturæ accommodatus suppetet, cum illa plus, hæc minus desyderẽt. Ac ea quidem quæ de toto genere habetur oratio, in omnibus arboribus fortassis uerè dicitur, in utrisque locis utrũque genus arboris oportere conseri. De rebus autem singulis accurata certáque disputatio, sensus magis munus ac iudicium desyderat, nec oratione id explicari & constitui facilè potest. Hæc ferè omnia sunt apud Aristotelem in libris de moribus. In sexto hæc, ἔστι δὲ δ' μὲν εἰπεῖν οὕτως ἀληθὲς μέν, ὄφελες δὲ σαφές. καὶ γὰρ ἐν ταῖς δύναις ἐπιμελείαις πολλὰ ὅσας ὄψιν ἐπισκήμη, ὅσον ἀληθὲς μὲν εἰπεῖν, ὅτι ὅτε πλέω, οὔτε ἐλαύνω δεῖ πονεῖν, ὅτε ῥαθυμεῖν, ἀλλὰ τὰ μέσα ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος. ὅσον δὲ μόνον ἔχων αὔτις, ὄφελε

αὖ εἰ δεῖν πλέον &c cætera. *In secundo,* δεῖ δὲ οὕτω μὴ μόνον καθόλου λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα ἐφαρμόττειν. ἐν γὰρ τοῖς περὶ τὰς πράξεις λόγοις, ὁι μὲν καθόλου, κοινότεροί εἰσιν. οἱ δὲ μέρους, ἀληθινώτεροι. περὶ ἃ τὰ καθ' ἕκαστα αἱ πράξεις, δέον δὲ καὶ τούτων συμφωνεῖν. *In eodem extremo,* πῶς δ' ἂν προσθείημεν, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, μᾶλλον δυνησόμεθα τὸ μέσον τυγχάνειν. καλεσθω δὲ ἴσως οὕτω, ἐν μᾶλλον ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον. ὁ μὲν ῥᾴδιον διορίσαι. πῶς γὰρ τίσι, καὶ πότοις καὶ πόσον χρόνον ὀργιστέον. *Paulò infrà,* ὁ δὲ μέχρι τίνος, καὶ πόσον φαῦλος, οὐ ῥᾴδιον τῷ λόγῳ ἀφορίζειν. ὁδὸς γὰρ ἄλλο ὁδὸν τὸ αἰσθητὸν καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα, καὶ ἐν τῇ αἰσθήσει ἡ κρίσις. *In itio eiusdē libri,* ζητητέον δ' ὅντος τοῦ καθόλου λόγου, εἶναι μᾶλλον ὁ περὶ τὰ καθ' ἕκαστα λόγος ἀκριβές. ὅτε γὰρ πρὸς τέχνας, ἢ πρὸς παραγγελίαν ὁδεμίαν ὑποπίπτει. *Hæc conuerti hoc modo, Hæc uera est illa quidē oratio, sed parum aperta & explicata. Etenim cæteris in rebus omnibus quarum est disciplina, hoc uerè licet dicere, nō plus minúsue laboris & quietis, quàm satis sit, suscipiēdum esse: uerum modum in ijs tenendum, quem recta ratio præscripserit. Quod qui teneat, nihilo sit doctior aut prudentior futurus, & cætera. In secundo, Hæc autem nō solum de genere toto uirtutum dicenda sunt, sed ad singulas etiam conuenit accommodare. Omnium enim disputationū, quæ de actionibus officijsq; instituuntur, eæ*

quæ ad genus uniuersum accommodantur latißimè patent: quæ autem ad partes, ad ueritatem propius accedunt. In ſingulis enim rebus actiones & officia uerſantur, quibus reſpondere debet oratio. In eodē extremo, Vt ergo rem in pauca conferā, hæc ſi faciemus, facillimè poterimus & conſequi & ſeruare mediocritatem. Arduum hoc profectò, præſertim in rebus ſingulis. Neque enim facile eſt explicare oratione, quonā modo, quibus hominibus, quibus de cauſis, & quandiu ſit iraſcendum. Paulò infrà, Atque is qui uituperandus eſt, quatenus, quantúmque ſit, non eſt facile oratione cō ſequi, nec quicquam eorum quæ ſub ſenſum cadunt: quippe cum in rebus ſingulis uerſentur, & omne de eis ſenſus ſit iudicium. Principio eiuſdem, Cúmque eiuſmodi ſit quæ de genere toto habetur oratio, multò etiā minus certa eſt, quæ de rebus ſingulis habetur. quoniam nec ſub artem nec ſub præceptionem ullam cadunt. Cōferamus etiam ea, quæ ab Ariſtotele primùm, deinde à Theophraſto tractata ſunt. Ariſtoteles quidem in primo libro de ijs quæ oriuntur è terra, ſcribit his uerbis, ἐσὶ δ' ὁ μέρη, ἅπερ ὠνομάσαμεν ἐν πᾶσι δένδρεσις, ἄυξησιν πάχυντα καὶ πέσθεσιν, ὡς ἡ ῥίζα, οἱ λύγοι, οἱ φλοιοί, ἢ οἱ κλάδοι, ἢ ταῦτα πρόμοιοῦτα μέλεσιν ἀνθρώπων τοῖς πολιέχοισιν ἅπαντα τὰ ἄλλα μέρη. καὶ ἡ μὲν ῥίζα μαστιτεύει ἔντε τῷ φυτῷ ἢ τῇ φοφῇ, καὶ καλεῦμεν αὐτὴν ὁ μόνον ῥίζαν, ἀλλὰ καὶ ἀπ' αν ζωῆς. αὕτη ζωὴ τοῖς φυτοῖς πρωφέ-

ρξ. Ὁ ριζὸς μέν ἐστι, ὁ μόνῳ γινόμενῳ ἀπὸ τῆς γῆς. καί ἐστιν ὅμοιον ἰλικία ἀνθρώπῳ. παραφυάδες δέ εἰσι, τὰ ἀπὸ τῆς ῥίζης τοῦ δένδρου βλαστάνοντα, κλάδοι δέ, οἱ πόῤῥω αὐξανόμενοι τοῦ ἐπάνω τῶν παραφυάδων.

id est, Sunt etiam partes earum quas nominauimus, quæ in omnibus arboribus augentur & crescunt, ut radix, truncus, frondes, rami. atque hæ partes instar sunt mẽbrorum hominum, quæ reliquas partes continent. Ac radix quidem inter succum qui è terra trahitur & stirpem locata est, eámque non solum radicem, sed uitæ etiam causam & altricem uocamus: hæc enim uitam affert ijs quæ terra fundit. Truncus est qui solus generatur è terra, hominisque staturam exprimit. Frondes autem sunt ea quæ à radice arboris germinant. Rami, qui in superiore frondiũ parte crescũt. Theophrastus autẽ hæc omnia in primo de stirpibus libro exponit fere ijsdẽ uerbis, Αὐτὰ δὴ τὰ μέρη διαειλημμένως, πειρατέον τοῦ ἑνὸς λέγειν. ἔστι γὰρ πρῶτα μὲν ἡ σπέρμα μὴ κοινὰ τοῦ παντὸς, παιδὲ, ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, κλάδος, εἰς ἃ διέλοιτ' ἂν πᾶν ὡσαύτως εἰς μέρη, καθάπερ καὶ τῶν ζώων. ἕκαστόν τε τῶν ὁμοίων, ὃ ἐξ ἀπάντων τούτων τὰ ὅλα. ἔστι δὲ ῥίζα μὲν ἡ διὰ τοῦ ὑγροῦ ἐπάγουσα. καυλὸς δέ, εἰς ὃ φέρεται. καυλὸν γὰρ λέγω καὶ τὸν ἐν τῇ γῇ πεφυκότα ὑφ' ἕν. τοῦτο γὰρ κοινόπατον ὁμοίως ἐστὶ πᾶσι μὴ χρονίοις. ὃ δὲ τοῦ δένδρου καλεῖται στέλεχος. ἀκρέμονα δὲ τὰ ἀπὸ τούτου ῥιζούμενα, ὃ ἔνιοι καλοῦσιν ὄζους, κλάδον δὲ τὸ βλάστημα τὸ ἐκ τούτων

ὑφ' ἓν. id est, Enumeratis autẽ ipsis partibus, de unaquaque dicemus. Sunt autem primæ ac maximæ, & quæ plurimarum sunt communes, hæ, radix, caulis, uirgultum, ramus. in quas tanquam in partes, quemadmodũ in animãtibus, hæc omnia diuidi possunt. Nam & unumquodque diuersi generis est, & totum ex his omnibus cõstat. Est autem radix, id quod succum è terra trahit. Caulis autem id quo attollitur è terra. Caulẽ autem uoco, id quod terra fundit, erigitúrque in unum. Hoc enim cõmune est æquè annuis & diuturnis, idque in arboribus Truncus dicitur. Frondes autem & uirgulta ea, quæ à caule finduntur. quos nonnulli ὄζους, uocant. Ramum, germen quod ex frondibus in unum erigitur. Hæc etiã uterque tractauit. Aristotel. hoc modo, πάλιν τῶν φυτῶν εἰσί ἕνια δένδρα, πνὰ ὃ μέζον δενδρον ὁ βοτανὸν, καὶ ταῦτα ὀνομάζουσι θάμνοι. ἕνια μὲν εἰσι βοτάνια, ἕνια δὲ λάχανα. ὅλως δὲ πάντα τὰ φυτὰ τοῖς διὰ βίοις ὑποπίπτοιεν ὀνόμασι. Paulò infrà, πάλιν εἰσὶν ἄλλα φυτὰ μέσον, ὡς εἴπομεν, δένδρον καὶ βοτανὸν σμικρὸν, τὰ λεγόμενα θάμνοι, ἔχοντα ἐν ταῖς ῥίζαις ἀνωθεν πολὺς κλάδους, ὡς τὰ καλάμινα ἄγνοι καὶ βάτοι. λάχανα δέ εἰσι, τὰ ἔχοντα πολὺς ῥιζὸς ἐκ μιᾶς ῥίζης καὶ πολλὸς κλάδους, ὡς δι πήγανον, αἱ κάμβραι καὶ τὰ διώτα. εἰσὶ δὲ καὶ βοτάνια, ἅπινθ' ὅσα ἔχουσι ῥιζὸν ἐκ τῆς ῥίζης, ἀλλὰ πρασίνα φέρουσι φύλλα. id est, Rursus eorum quæ terra eduntur, partim sunt ar-

bores, partim inter arbores & herbas medium locum obtinent: eáq; frutices nominantur. alia herbæ, alia legumina uocantur. His quidem nominibus omnia ferè quæ terra fundit, contmentur. Paulò infrà, Iam alia generãtur è terra, quæ arbores & herbas paruas, ut dixi, imitantur, eáque appellantur frutices: quæ in suis radicibus multos ramos complectuntur, ut quæ uocantur ῥλυæ & rubi. Legumina autem sunt ea quæ multos truncos multósq; ramos à radice fundunt, ut ruta & braßicæ: &c. eiusdẽ generis. Sunt etiã herbæ, quæ truncũ à radice minime fundunt, sed statim folia. Quæ autẽ Theophrasti his respondeãt, age uideamus. In i. de stirpib. πρῶτα δ' ὅσα καὶ μέγιστα, καὶ χωδὸν ὑφ' ὧν φωνται τὰ φλοῖσα πολλέχεται, πάσσε, δένδρον, θαλλῶδες, φρύγανον, πόα. δένδρον μὲν οὖν ἐστι, τὸ ἀπὸ ῥίζης μονοστέλεχες, πολύκλαδον, ὀξωτέρω καὶ διακλύζοντος. οἷον ἐλαία, σικὴ, ἄμπελος. φρύγανον δέ, τὸ ἀπὸ ῥίζης καὶ πολυστέλεχες καὶ πολύκλαδον. οἷον βάτος, παλίουρος. πόα δέ, τὸ ἀπὸ ῥίζης φυλλοφόρον, πρωϊὸν ἀστέλεχες, ἢ ὁ καυλὸς στρεμνοφόρον. οἷον ὁ σίτος καὶ τὰ λάχανα. *his uerbis fruticis non explicatur definitio: deest enim, quod non animaduerterunt librarij. Quæ autem desunt sic mihi uidentur posse addi,* θαλλῶδες δὲ γε ἀπὸ ῥίζης ἀστέλεχες μὲν, πολύκλαδον δὲ. οἷον βάτοι. *Alia præterea multa cõmemorare possum, quæ Theophrastus à magistro Aristotele sumpsisse mihi uidetur. Si quis enim diligenter utriusq; de stirpibus libros*

inter se contulerit, ea reperiet paucis uerbis ab Aristotele tractata esse, quæ Theophrastus pluribus & uerbis & exemplis illustrauerit, ut mihi rem illam informasse & adumbrasse Aristoteles, Theophrastus informatam absoluisse uideatur. Ego, inquam, alia etiam multa, quæ uterque secutus est, proferre possum: sed & hæc quæ adhuc exposui, argumento esse possunt, uter alterum dicēdo superauit, & aliquis locus ijs quæ dissimili in genere uersantes, tractauerūt, relinquendus est. Et quoniam diuina Theophrasti oratio in historijs enitescit maximè, ex eius libris quasdā historias institui proferre, aliásque Arist. cum illis conferre, quò res facilius intelligatur. De mespilis quidem hæc tradit lib. tertio, μεσπίλης δ' ὀξεῖ ῥίζα χείλη, αὐλωδών, σατανάφῳ, αὐλωνοφόρος, ὡς οἱ περὶ τὸν ἴδλιον διαιρῶσι. φέρει δὲ ἡ μὲν σατανάφῳ τὸν καρπὸν μείζω, καὶ λευκότερον, καὶ χαυνότερον, καὶ τοῦ πυρήνος ἔχοντα μαλακωτέρους. αἱ δ' ἕτεραι, ἐλαφρότερα εἰσὶ, καὶ οὐδὲ σκληραὶ καὶ στυφνότεραι, ὥστε δυνάσθαι πλείω χρόνον διατηρεῖσθαι. τῶν κυάμων δὲ καὶ τὸ ξύλον τῶν, ὃ ξανθότερον. παρ' ὅλα ὅμοιον. ὁ δ' αὐλὸς πάσων ὅμοιον ἀμυγδάλῃ, πλὴν ὀλίγον ἐρυθρὸν, ὥσπερ ἐπεῖνα. ἀλλ' ἔγκαρπον, μεγέθει μέγα δ' ἔνδοθεν, ἡ πολύκομον, φύλλον ὃ μὲν ἐπιλυχνίδες, ἧκον ἄκρῳ σελινοειδὲς, μείζοσι σχίσμασι, πέτανον ἰνῶδες, λεπτότερον σελίνου ἡ πετροσελίνου, ὃ κατὰ μὲν ὅλον σχίσματα, μίσχον δ' ἔχει λεπτόν, μακρόν. πρῶτον φυλλορροεῖν δ' ἐρυθραίνεται σφόδρα. σκληρὸ

ῥιζον ὑπὸ δένδρον, καὶ βαθύῤῥιζον, διὸ καὶ χρόνιον καὶ δυσώλεθρον. καὶ τὸ ξύλον ἔχει πυκνὸν καὶ σφοδρὸν καὶ ἀσαπές.

Mespili tria genera sunt, anthedon, satania, tertiũ quod ad anthedonẽ accedit, ut Idæ incolæ diuidunt. Satania quidẽ pomũ fert, & maius & candidius, & mollius. acini etiam molliore ligno. Cæterarum autem fructus minor est, odorisque suauitate præstat, & acerbitate, ut diutius seruari possit. Lignum etiam harum densius est, & magis flauescit. cæteris in rebus omnes conueniunt. Flos autẽ omnium ad amygdali similitudinem accedit, nisi quòd non est ruber, ut illarum, sed uiridior. Arbor ipsa magna est, frõdésque ac ramos in omnem partem longè latéque profundit. Folia sunt partim infissa & in summa parte apio similia, sed tamẽ ampliora, & latiora, & plena neruorum, angustiora quàm apÿ, & prominentiora, omni ex parte fissilia, inclusosq; acinos minutos illos quidem habent, sed longos. Folia antequam decidant, rubescunt. Arbor autẽ quoniam radices multas easque altas agit, ob eam causam tũ diu durat, tum difficiliter interit. lignumque eius dẽsum est & solidũ, nec putredini obnoxiũ. Hæc magna ex parte Plinius. Aristoteles autẽ hæc de aquila cõmemorat.

Τῶν δ' ἀετῶν ἔστι πλείονα γένη, ὧν μὲν ὁ καλούμενος πύγαργος, ὅστος κατὰ τὰ πεδία καὶ τὰ ἄλση καὶ τὰς πόλεις γίνεται, ἔνιοι δὲ καλοῦσι νεβροφόνον αὐτὸν· πέπτει δὲ καὶ εἰς τὰ ὄρη, καὶ εἰς τὴν ὕλην δὲ θάρσος· τὰ δὲ λοιπὰ γένη ὁ λιγωνὶς εἰς τὰ πεδία, καὶ

ἄλση φοιτᾷ. ἕτερον ὁ γένος ἀετῶν ἐστίν, ὃ πλαγγὸν καλεῖται, δεύτερος μεγέθει καὶ ῥώμῃ. οἰκεῖ δὲ βήσσας καὶ ἄντρα καὶ λίμνας. ἐπικαλεῖται δὲ ὑγροφόνος καὶ μορφυός δ', καὶ Ὅμηρος μέμνηται αὐτῆς γραμμὴ δὲ ὀξύδρομος ἑτέρας δὲ μέλας τὴν χρόαν, καὶ μέγεθος ἐλάχιστος, ὃς πραότατος τούτων. ἔστι οἰκεῖ ὄρη καὶ ὕλας. καλεῖτο δὲ μελανάετος καὶ λαγωφόνος, ἐκτρέφει δὲ μόνος δύο τὰ πτέρνα καὶ ὀξάγει. ἔστι δὲ ὠκυβόλος καὶ εὐθύμαχος καὶ ἄφοβος καὶ μαχιμος καὶ εὐφημος. ὃ γοῦν μυνεύει, οὐδὲ λέληκεν. ἔστι δ' ἕτερον γένος πρηνότροφος, λοβὸν κεφαλὴν, μεγέθει δὲ μέγιστος, πόδας δὲ βραχύτατα καὶ ὀρνεοπήχεον πρόμηκες, γυπὶ ὅμοιος, ὀρεσπελαργὸς καλεῖται, καὶ γυπαετός. οἰκεῖ δ' ἄλση, τὰ μὲν καπὶ ταὐτὰ ἔχων τοῖς ἄλλοις, τῶν δ' ἀγαθῶν δὲ ἐστι. ἁλίσκεται γὰρ καὶ διώκειν πρὸς κραυγὴν, καὶ τῶν ὄλων. ἁρπὺς δὲ καὶ καὶ κακόβιος, καὶ τὰ πεθνεῶτα φέρων. τρέφει δὲ ἀεὶ καὶ βοᾶ καὶ μυνεύει. &c.

Aquilarum autem genera sunt plura. Vnum genus est quod uocatur pygargus. Is & in campis & in nemoribus, & oppidis habitat, eum nonnulli νεβροφόνον appellant. Volat in montes & in syluas, fretus audacia. Reliqua autem genera raro planiciem camporum aut terram petunt. Alterum genus est aquilæ, quod Plangus dicitur, secunda & iii & magnitudine, in cõcauis altitudinibus, in uallibus, paludibúsque uersatur. Eam anatariam & morphyon appellant, cuius rei in

Priami obitu meminit Homerus. Est etiam aquila alia, colore nigro, minima corpore, quæ uiribus præstat cæteris. Hæc et mõtes & paludes incolit, uocatúrque μελαναιετὸς, id est, nigra aquila, & leporaria, eademque sola fœtus suos educat, & abigit è nido. Est etiam solers, decora, sine inuidia, sine metu, bellicosa, & canora: neque enim clangit aut garrit. Aliud est genus quod percnopterum uocant. Hæc & capite cãdorem præfert, & reliquas magnitudine antecellit, & minimis alis est, & prominentiore cauda, & uulturina specie: ciconicáque & uulturina aquila uocatur. Eadem in nemoribus habitat. Cúmque eadem uitia & mala quæ cætera genera, habeat, eorum nullum bonum imitatur. capitur enim, uerberatúrque à coruis aliísque auibus, propterea quòd grauis sit atq; iners, & exanima ferat corpora. minime uerò famẽ perferre potest, ob eámque causam clamatí semper, & obmurmurat. Hæc etiam magna ex parte Plinius ab Aristotele transtulit. Quòd si ea quæ Theophrastus de ficu Aegyptia refert, commemorauero, finem conferendi faciam. ὧν Ἀι γυπὸς γάρ ὄζιν ἔνι ἀδένος τὸ πλεῖον, ἥπε σικάμινος καὶ ἡ πορσέα καλαμίνη, καὶ ἡ βάλανος, καὶ ἡ ἀκανθος, καὶ ἐτὸρ ἄτη. ἔστι ὃ ἡ μὴ σικάμινος πάπλησια πως τῇ ἐνταῦθα σικαμίνῳ, καὶ μ' ὃ φύλλον ἔχει, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τῷ ὅλῳ πρόσψ', τὸ δὲ καρπὸν ἰδίως φέρει πρὰ τὰ ὄλλα, καθάπερ ἐλέχθη καὶ ἐν τοῖς ὀξ ἀρχῆς. οὐ μὰν ἀλλὰ τὸ βλαστὸν, οὐδ' ἀλλὰ

τῷ ἀκρεμόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ σελέχους, μέγεθος μὲν ἡλίκην σῦκον καὶ τὴν ὄψιν παραπλήσιον, τῷ χυλῷ δὲ καὶ τῇ γλυκύτητι τοῖς ὀλυνθίοις, πλὴν γλυκύτερον πολύ, μὴ κεχαμίδασ' οὐκ ἐρρίζα, πλήθει δὲ πολύς. καὶ σπέρμ' ὑδώδεται, ἀλλ' μὴ ἐπικνιοῦται, ἀλλ' ἔχοντος ὄνυχας σιδηρᾶς, ἐπικνίζουσιν. ὅταν δ' ἐπικνιοῦται, τεταρταῖα πίπτει. τούτων δ' ἀφαιρεθέντων πάλιν δύναφύεται, καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου μηδὲν παραλλάσσοντα, καὶ τοῦθ' οἱ μὲν τεῖς, οἱ δὲ πλεονάκις φασὶ γίγνεσθαι. πολύσπορον δὲ τὸ δένδρον σφόδρα ὄν, καὶ δι' ξύλον αὐτοῦ εἰς πολλὰ χρήσιμον. ἴδιον δὲ ἔχειν δοκεῖ παρὰ τὰ ἄλλα, μηδὲν γὰρ ὄζειν ἐνθύς πλαρόν. ἀναίνεται δὲ εἰς βυθὸν, εἰς βόθρον δὲ ἐμβάλλουσι, δεῖ στὰς λίμνας ἐνθὺς καὶ ταριχεύοντι, βραδύμενον δὲ ἐν τῷ βυθῷ, ξηραίνεται, καὶ ὅταν πλέως ξηρὸν γένηται, τότε ἀναφέρεται, καὶ ἐπινεῖ καὶ δοκεῖ καλῶς τότε τεταριχεῦσθαι. γίνεται δ' κόφον καὶ μανόν. ἡ μὲν σικαμινος ἔχει ταύτας τὰς ἰδιότητας, id est, *In Aegypto enim multa sunt arborum genera, ut ficus, ut persica, ut balanus, ut spina, & aliæ quædam. Est autem ficus nostræ moro similis, & folio, & magnitudine, & tota specie: pomum autē fert nouo quodam & proprio modo præter cæteras, ut initio diximus. Neq; enim ramis & germine, sed caudice ipso fundit. Magnitudine & specie fici est, sapore autem & dulcedine grossi eiusdem arboris, nisi quòd dulcedinē uincit, & granis caret, multósque fert*

fructus, qui matureſcere niſi ſcalpendo unguibus ferreis adhibitis, non poſſunt: quod cum factum eſt, tertio die matureſcunt. quibus perceptis, rurſus alia poma naſcuntur, quæ eundem locum non mutãt. Atque id quidem nonnulli ter, alij ſæpius fieri aſſeuerant. Cum arbor ipſa nobilis eſt, tum materia eius ad multas res utilis: præter cæteras hoc ei proprium eſt, quòd repente omnis ei uiriditas & humor adimitur: in fundum enim uel ſtagni uel fluminis inijcitur, in quo ſiccetur: cúmq; ſatis ſicca eſt, tũ deniq; fluitare incipit et innatare, aquáq; deterſa, bene ſiccata materies uidetur. In ea enim iam tum leuitas raritásq; dominatur. Ac fici quidẽ hæ ſunt proprietates. Plinius hæc eadẽ lib. xiij. magna ex parte cõuertit. De accipitribus autẽ hæc cõmemorat Ariſt. Τ̃ δ' ἱρακων πρωτος μ̃ ὁ περκνος. δεύτερος δ' ὁ αἰσάλων, ζ̃ῖτος ὁ κίρκος. ὁ δ' ἀσδρίας ⓒ ὁ φασσοφόνος καὶ ὁ πτέρνης ἀλλοῖοι. οἱ δὲ πλατύτεροι ἱέρακες, ὑποπερκνοι καλοῦνται. δῆλοι δ' οἱ περκνοι καὶ πτίλαι. οἱ δὲ λεῖοι καὶ φρυνολόχοι, ὅτι εὐβιώτατοι καὶ χθαμαλοπτῆτ. γένη δὲ τ̃ῶν ἱρακων φασί πνδ ἓν ὄν ἐλαττω τ̃ δέκα. διαφέρουσι δ' ἀλλήλων. οἱ μ̃ν αὐτῶν ὑ̃ς τ̃ γῆς καθημένω τύπτουσι τῷ πτερῷ καὶ σωματράζουσι, πτοῦμένης δ' ὀ θηγγάνουσιν. οἱ δ' ὑ̃ς δένδρων μὴ ἢ ζώνος δῆλον καθημένω θηρεύουσιν, ὑ̃ς τ̃ γῆς δ' ὄσης, ἢ μετεώρου, ὀχ ἅπτονται. οἱ δ' ὅτ' ὑ̃ς τ̃ γῆς, ὅτ' ἐπ' δῆλον καθημένης θηρεύουσι, ἀλλὰ πτοῦμένω πειρῶνται λαμβάνειν. φασὶ δὲ καὶ

τὰς πόλεις ἁρπάς γινώσκειν ἕκαστον τούτων τῶν γενῶν, ὥστε πεπαυμένων, ἐὰν μὲν ἢ τὰ τῶν μετεωροθήρων μένῃ ὅπως ἂν καθήμενα τύχωσιν. ἐὰν δὲ ἢ τῶν χαμαιτύπων ὁ πεπαυμένος, οὐχ ὑπομένῃ, ἀλλὰ ἀναπέτηται. ἐν δὲ θρᾴκῃ τῇ καλουμένῃ ποτὲ κεδροπόλει, ἐν τῷ ἕλει θηρεύουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰ ὀρνίθια κοινῇ μετὰ τῶν ἱεράκων. οἱ μὲν γὰρ ἔχοντες ξύλα βάσιν τῶν καλαμῶν καὶ πλῶ ὕλῃ, ἵνα πέτωνται τὰ ὀρνίθια, οἱ δὲ ἱέρακες ἀνάπαυσιν ἀναφαινόμενοι καταδιώκουσι, πᾶν τὸ ὑφορώμενα, καὶ πᾶν πέτεται πάλιν πρὸς πλῶ γῆν, οἱ δ' ἄνθρωποι τύπτοντες τοῖς ξύλοις λαμβάνουσι, καὶ τὸ θήραμα μεταδιδόασιν ἀυτοῖς. εἰσὶ πάσαι γὰρ τῶν ὀρνιθίων. οἱ δὲ οὐ λαμβάνουσι. *id est, Accipitrũ Buteoni qui triorches dicitur, datur principatus. Secundum locũ Aesalon, tertiũ Circus obtinet. Nã Asterias, palumbarius, & pernix degenerant. Paulò pòst, Genera autẽ accipitrũ nõnulli non pauciora decẽ tradũt: sed hoc differũt, & alij auẽ in terra sidentẽ rapiunt, uolãtem non attingunt. Alij in arbore aut alibi sidentẽ persequuntur, in terra, uel in sublimi, non tamẽ. Quidã nec in terra, nec alibi sidentẽ uiolant. sed in aperto uolãtẽ. Quinetiam unũquodque genus columbis notũ esse dicitur. Itaque si is qui inuolat, in eorũ sit genere, qui in sublimi aucupantur, manent ubicũque consederint: sin eorũ sit, qui humi prædam rapiunt, nõ expectant. sed subuolãt. In Thraciæ autẽ parte in qua aliquãdo fuit Cedropolis, in syluis homines accipitribus*

adiutoribus aucupantur. Illi enim palis & perticis ex arũdinetis & nemoribus aues excitant. Hi superiore è loco imminẽtes, eas deprimũt. Aues autẽ metu in terrã uolant, captasque aucupes cum accipitribus diuidunt. Atque hæc eadem fere omnia conuertit Plinius. Nunc quoniã satis multa atq; eiusmodi protuli, ex quibus hoc quod agitur intelligi potest, ex te quæro, Rame, utrius, Aristotelis an Theophrasti copiosior & illustrior tibi uideatur oratio? Exquire singula uerba, expende cõiuncta, & collocata. Vides in uis locis quos uterq; tractauit, iisdẽ utrũq; uerbis uti? eũdem ubiq; ordinẽ seruare in collocando? eosdem numeros persequi? Non te existimo adeo ignarum, ut eorum orationem uelis ad ea præcepta quæ Cicero de illustri oratione dedit, exigere. Aliud est enim oratorum genus orationis, aliud philosophorum. Alteri enim lato & redundante dicendi genere utuntur, alij presso atque contracto. Quorũ utrique cũ copia & ubertate abundent, profectò alia & diuersa ab utrisque postulanda est. Hãc tu in Aristotele debes requirere: eã si requiras, certè nõ minorẽ in eo, quàm in Theophrasto reperies fuisse. Id te multi utriusque loci, quos paulò antè exposuimus, docebunt. Quòd si ij tibi nõ satis multi uidentur, age libros cum libris cõfer, tũ intelliges à Theophrasto Aristotelem facultate & copia dicendi non fuisse superatum. Idem te docebũt loci illi quos à Cicerone & Plinio translatos etiã protuli. Si enim Pe-

ripateticorum,ut est apud Ciceronẽ,cuius tu de hac re sententiam probas, splendida est & illustris oratio, multòsque locos qui sunt in ijs libris quos habemus, & ille conuertit & Plinius, certè nõ solum illud efficitur, hos esse libros Aristotelis qui Platonẽ audiuit: sed hoc etiam, eorum esse non ieiunã & aridam, ut vis, verùm copiosam orationem. Quo confecto, cui dubium est, quin omnis tua accusatio ridicula sit futura? præsertim cum hoc te potissimum ad accusandum Aristotelẽ adduxerit, quòd Plutarchi & Strabonis secutus authoritatem, eius nos ueris & germanis libris carere existimares. Quanquam mihi omnibúsque bonis uideris in fundamento accusationis tecum ipse discrepare. Rem enim tibi esse initio libri dicis cum Aristotele Platonis auditore, tanquã cum ueritatis hoste: in extremo eodẽ negas Aristotelis eiusdem te libros reprehendere. Sed de hoc toto proprijs locis disputabimus. Tẽpus enim est, ut ad singula tibi respondeã. Principio quidẽ libri tui, duo esse dicis hominum genera, qui se ad dialecticæ studium contulerunt: alteros unicam ueritatem omni auctoritate posthabita laborioſè inuestigasse, in quorũ numero Platonem Platonicósque reponis: alteros, in quorum numerum Aristotelem Aristoteleosq; omneis ascribis, suis scriptis eam perturbasse ueritatẽ, & ueritatis inquisitionem, quam superiores tradidissent. Hoc primùm uelim doceas, quibus de rebus dialecticorũ A-

ristoteles à Platone dissenserit, deinde quã ueritatem perturbauerit. Platonis præcepta, quæ ad Dialecticam conducant, nulla aut perpauca certè legimus. Quî igitur docere potes id quod uis, dialecticæ quam Plato tradiderit, perturbatorẽ Aristotelem fuisse? Adeóne tibi hoc ipsum, pugnare contra ueritatem placuit, ut à mendacio librũ tuum ordirêre? ut non tibi ueniret in mentem, quid de ueteribus Academicis & Peripateticis Cicero scripserit? Nõne eosdẽ ueteres Academicos & Peripateticos fuisse dicit? Lege hæc quæ ex illius primo libro de Academicis quæstionibus protuli, Platonis autem auctoritate qui uarius & multiplex & copiosus fuit, una & consentiens duobus uocabulis philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorũ: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cum Speusippum sororis filium Plato philosophiæ quasi hæredem reliquisset, duos autẽ præstantissimo studio atque doctrina Xenocratẽ Chalcedoniũ & Aristotelem Stagiritẽ: qui erant cũ Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant mambulantes in Lycio, illi autem qui Platonis instituto in Academia quod est alterum gymnasium, cœtus erant, & sermones habere soliti, ex loci uocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam & refertam. Illam autem Socraticam dubitationem de o-

mnibus rebus,& nulla adhibita affirmatione cõsue-tudinẽ differendi reliquerunt. Ita facta est differẽdi quod minime Socrates probabat, ars quædam philo sophiæ,& rerum ordo & descriptio disciplinæ. Quæ quidem erat primo duobus, vt dixi, nominibus una. Nihil enim inter Peripateticos & illam ueterẽ Aca demiam differebat: abundantia quadã ingenij præsta-bat, ut mihi quidem videtur, Aristoteles. Sed idem fons erat utrisque, & eadem rerum expetendarũ fu giendarúmque partitio. Atque hæc quidem ille. Tu autẽ quid ais? dissentire à Platone, id est, ab ipsa ueri tate Aristotelẽ, & perturbare in dialecticis omnia. Vtri potius fides habenda est? Tibíne? qui quàm in Dialecticis plane sis hebes, nobis declarasti: an Cicero ni, qui ad summam dicendi facultatem philosophiæ studium adiecit? Quòd si Aristotelem dissidere ab eo in Physicis, si in libris de moribus Ciceronis auctorita ti opponas, hoc tibi respondeo, Ciceronẽ etiam scribere ab ipso Aristotele Ideas fuisse labefactatas. Non igi tur hoc vult Cicero, nullam inter eos de re ulla fuisse dissensionẽ: sed hoc solum, inter eos cõueniisse de sum-ma. Nos autem hoc loco de dialectica solùm disputa-mus, quã docere debes aliter à Platone, aliter ab Ari-stotele fuisse traditam. Neque enim hoc docuisti nisi uerbo, quod cum satis mihi etiam esset verbo negare, tamen & Ciceronis id auctoritate, & ipsa veritate concluſi. Quòd si iam inde ab initio libri tui, quasi in

portu impegisti, quid ex ijs quæ à te posita sunt tam falsa, nisi falsa effici cõcludique possunt? Euerso enim illo tuo fundamẽto, Aristotelem à Platone magistro ueritatis in tradẽda dialectica discrepare, ijsque quæ adhuc refellimus: an non necesse est falsa esse illa omnia, Aristotelem ueritatis hostẽ esse, carnificẽ esse, ex hominibus asinos efficere, aliáque conuitia hominis impotẽtis? De quibus singulis age dicamus. Te bellum gerere non solùm cum Aristotele dicis, sed cum Aristoteleis etiam omnibus. Quod quô facias commodius, primũ deũ precaris, ut tibi in alterũ dicẽti, auxiliũ ferat. Deinde à natura ipsa ordiris. Illud prius te coarguit. Posterius est illud quidem tibi commune cum ijs omnibus, qui uerũ aliquid uolunt docere: sed nihil est tam sanctum, nihil tam præclarum, quod non improbissimus quisque ad optimarum rerum perniciem abutatur. Torquatus apud Ciceronem Epicuri de summo bono quod in uoluptate ponebat, sententiam defendens, id ut doceat, ab ipsa natura ducit exordium. Eam enim omnes simul atque nati sunt ait expetere. Tu idem facis, qui ut Aristotelis dialecticam euertas, eam à natura, quæ arteis omneis peperit, alienam esse dicis. Cum enim arteis omneis à natura profectas esse posuisti, quarum una sit dialectica, tum id assumis, In Aristotelis commentarijs nihil esse quod à natura sit profectum. sed confusa, perturbata, contaminata omnia. Ex quibus cõcludis, in cõmentarijs Aristotelis nullam esse

artem dialecticam. Quod sumpsisti, probare debes, nec probas: sed iterum aliquid assumis, quod est illius sumptionis tuæ quædam confirmatio. Nam illius assumptionis tuæ, In commentarijs autem Aristotelis nihil est ad naturæ monitionem propositum, nihil si naturæ ueritatẽ spectes, non cõfusum, non perturbatũ, non fœdatũ, hæc probatio est, Naturalem porrò dialecticam in hominum ingenijs intueri licet geminis radicibus inuentionis & iudicij, atque utriusque brachijs innixã, quã tu assumptionem facis. Sed demus hoc tibi. Quo autem modo id doces quod docere debes, nullã in libris Aristoteleis inuentionis iudiciique mentionem fieri? Non enim, inquis, summa uis illa definitione cõprehenditur, nec partes certæ proponuntur, sed unum chaos perpetuum ex omnibus rerum formis glomeratur. Paulò infrà posteaquàm statuisti dialecticã esse naturalem mentem atque rationem, eámque duplici uirtute inuentionis atque iudicij contineri, urges his uerbis, Cedo ubinam egregius hic Apelles caput dialecticæ tam longa uastáque tabula categoriarum, ἑρμηνείας, analyticorum, topicorum, elenchorum, depinxit? Vrges etiam uehementius, paulò pòst ut uideris, quæ à pictura ducta est similitudine. Sed obsecro te uir bone, inquis, si pictorẽ aliquem ad te pingendũ certo precio conduxisses, isque tui corporis imaginem truncam & sine capite tibi pinxisset: cum portentosam illã picturã proponeret (quã uis meminisses te caput habere) nõ tibi stomachum face

ret? aut cachinnum excitaret? Ex qua hoc cõcludis, Cur hanc igitur animi tui, (quæ tanto tibi temporis uitæque precio paratur) imaginem prima ſummáque ſui parte carentem probabis? At partes quænam, inquis, ſunt, in toto opere deſcriptæ? ubi ſunt brachia? ubi ſiniſtrũ illud inuentionis, hoc dextrum iudicij poſitum, diſtinctum, cõformatúmq; eſt? Hic Ariſtoteles Ariſtotelísque interpretes muti magis quàm piſces. In omnibus enim tot tantísque libris inuentionis iudiciíq; ne appellatio quidem unquam audita. Paulò pòſt permanens in eodẽ exemplo, tandem idem concludis, hoc modo, Vera, ut dixi, legitimáque diſſerendi doctrina eſt imago & pictura naturæ: opus Ariſtotelicæ commentationis non eſt imago naturæ: non eſt igitur uera diſſerẽdi legitimáque doctrina. Tum quaſi uictoriam pepereris, rogas, An tibi lapidem aliquem mouere, non tota mœnia cõcutere uideor? Si me tibi reſpondere uis, ne lapillum quidem mihi uideris cõmouere. Hoc ante te multi tentarunt, quorum nemo hanc tam firmam & ſtabilem diſciplinam conuellere, nemo labefactare potuit. Eos tu non eruditione, non copia, ſed una maledicendi libidine uiciſti. Itaque eadem te manet quæ illos manſit, aut etiam miſerior conditio. Sed ne grauius dicam, (neque enim cõuitijs refellere uolo, ſed rationibus firmiſsimis, quæ tu in Ariſtotelem dixiſti) uide quã firma ratione doceam falſa eſſe quæ ei crimina obijcis. Negas in libris Ariſtotelicis inuentionis iudiciúque nomen unquam auditum eſ-

se. Recita hoc eius Topicorum principium, Hoc nobis loco propositum est uiam atque ratione inuenire, qua & de omni quæstione proposita probabili argumentatione poterimus disserere, & nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, asseremus. Audis, Rame, uerbum inuentionis. An non hoc librorum ipsorum te docere potuit inscriptio? præsertim cum apud Ciceronem legere potueris, disciplinam inueniendorum argumentorum ut sine ullo errore ad eã rationẽ, uia perueniremus ab Aristotele inuenta, libris illis contineri. Negas uerbum ullum his in libris de inuentione fieri. Quò igitur pertinent tot loci definitionis, differentiæ, generis, formæ, adiunctorũ, coniugatorum, repugnantiũ? Negas iudicij ullam fieri mentionem. Primum tibi Ciceronis auctoritatem opponam, Cum omnis, inquit, ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut mihi quidẽ uidetur, Aristoteles fuit. Principẽ utriusq; partis & inueniẽdi & iudicãdi Aristotelẽ uocat Cicero: Ramus utranq; ei adimit & detrahit. Si autẽ iudicij princeps fuit, ut ille uult, Aristoteles, quibus in libris ea quæ ad hanc partẽ pertinent, sit persecutus, nisi in ijs quos ἀναλυτικὰ inscripsit, non possumus dicere. Idque cum uete-

Diogenes Laertius in Aristotele

res permulti, tũ Diogenes Laertius in eius uita perhibet. Et quoniam in eius libris nullam inuentionis iudiciique significationẽ dari contendis, libenter eius de illorum sententia testimonium proferam. Græca deinceps

non subijciam, ne molestiã legentibus afferãt. In his libris duplicem esse philosophiam docet: alteram quæ in in actione, alterã quæ in contẽplatione uersetur. Ad eã quæ in actione uersatur, Ethicẽ refert & politicen, in qua & quæ ad Remp. & quæ ad rem familiarẽ pertinent, cõtinẽtur. Eius autem quæ in cognitione cernitur, parteis duas facit, alteram in qua de obscuritate naturæ disputetur, alterã quam λογικὴν .i. rationẽ disserendi uocat. Dißerendi rationem non totius partem, sed quasi instrumentum certißimum uult esse, eique duos fines proponit uerisimile & uerum. Hos duos duabus partibus accommodauit: Dialecticæ & rhetoricæ uersimilitudinẽ, Analyticæ & philosophiæ ueritatem, nulla re prætermissa & earũ quæ ad inuẽtionẽ, & earũ quæ ad iudiciũ, & earũ quæ ad usum pertinerẽt. Ac inuẽtionẽ quidẽ in topicis & libris ijs qui uia & ratione procedũt, tradidit, suppeditata magna propositionũ copia, ex quibus argumẽta probabilia ad id quod quæritur sumi possint. Iudiciũ autẽ analyticis prioribus & posterioribus persecutus est. quorũ in prioribus sumptiões iudicãtur, in posterioribus autẽ cõclusio exquiritur. Vsum porrõ tũ in ijs libris docuit, quib. exercitationẽ instituit, tũ in ijs quib. interrogationis præcepta dedit, tũ in ijs quibus de Sophistarum reprehensionibus ratiocinationibúsque disputauit. Atque hæc quidẽ Laertius. Boetius in eadem est sententia, græciq; e omnes qui eum sunt interpretati, quorum omniũ uerba proferrẽ, nisi eos ut Ari-

ſtoteleos contemneres. Diogenis autem Laertij potiſsimum auctoritatem interpoſui, quòd ſperarem te qui eius contra hunc teſtimonium quo uſus eſſes, ualere oportere iudicaſſes, eiuſdem etiam hoc pro illo ualere oportere iudicaturum. Fit igitur aliqua his in libris Ariſtotelicis inuētionis iudicijque mentio. Quod eodem modo de natura eiúsque ueritate poſſum docere. Neque enim ſi ordinem quem natura ipſa inſtituit, conſyderaſſes, eius libros ordine, quem illa præſcripſit, carere dixiſſes. Cui enim dubiū eſt, quin unuſquiſq; noſtrū ſimul atque fari per ætatem poteſt, primùm res ſingulas ſuo quanque nomine appellet? ut patrem, ut matrem, ut fratres, ut ſorores, cæterósque cognatos. Deinde cum paulū ætate proceſsit, hæc iam dicat, Ille pater eſt, illa mater? Hoc album eſt, nigrum illud? hoc bene olens, illud tetri odoris? cum uero longius etiam progreſſus eſt, nonne hæc nectere incipit? Si homo eſt, ratione non caret. Si ratione uon caret, non eſt belua. Nonne ſua quiſque natura duce & probabiliter quædam demōſtrat, & alia neceſſaria ratione concludit? Quid ergo? an non horum omnium non imago aliqua leuiter impreſſa in libris Ariſtotelis, ſed ueritas ipſa perfectè expreſſa eſt? Primæ ſunt Categoriæ, quæ quid præter ſimpliciū verborum ſcientiam profitentur? Sequitur liber de interpretatione, in quo hæc inter ſe ſimplicia iunguntur. Deinde libri Topicorum quibus probabiliter de quaque re diſſerendi ratio continetur. Tum Analy-

tica vtraque, quibus necessario aliquid concludendi traditur disciplina. Postremum locum tenet liber, quo instructi fallacia aliorum argumẽta facile reprehendere possimus. Neque enim satis est, quid & quemadmodum dicas, tenere: nisi aliorum argumentis non veris illis quidem, sed illorum speciem imitãtibus, ne te capiant, possis occurrere. Tibi hæc, Rame, à naturæ præscripto vidẽtur aliena? Quid agebat illa animi tui acies quam tibi natura dedit, cum hæc scriberes? vbi animus tuus erat? vbi mens? vbi cogitatio? Adeóne tenebris et caligine obducta erat, ut hæc nõ videret? Si hoc non videbat, ne hoc quidem cogitare potuit, quantum inuidiæ esset tibi propediem sustinendum? Sentio, inquies, & ferens tempestate opprimor. Si ita est, discute istam caliginem, redi in uiam, integrum est tibi redire, si modò istum librũ tuum perpetua oblitione deleri, aut potius exuri, patiare. Sed vereor ne surdo canam. Neque enim tam impudens oratio eius est, quem facile pœnitere possit. Itaque nihil meam hanc orationem apud eum valituram spero, sed apud eos solum, vel quos iam ille in suam deduxit sententiam, vt ab ea reuocẽtur: vel qui nõ satis firmi in veteri omnium populorum sententia permanent, ne distrahantur. Quorum causa iam ad cætera ueniamus. Quanquam autem hæc satis declarant omnem Aristotelicã disciplinã ductã esse à natura, tamẽ id etiam alio modo docendum est. Cum disciplina omnis finem sibi habeat

propositum, ad quē omnia quæ tractat, referātur, certè dialecticæ proposita est tanquā finis, differendi de quaque re potestas. Cum porrò bene differere nisi argumētis non possimus, intelligendum est quid sit argumentatio. Quid autem sit quicque, tū plane tenemus, cū quæ partes eius, quid, quoiq; sint tenemus. Argumētationis ergo partes cognoscendæ sunt. Cōstat autē omnis argumētatio ex propositionibus, propositiōes ex simplicibus uerbis. Hoc uidit Aristoteles, hoc intellexit, & semper docuit, ex omnibus etiam minimis partibus unaquæq; res quid sit, esse iudicandū. Hanc uiam & rationem ferè ducē sequitur. Ratiocinationis ergo partes cuiusmodi sunt propositiones, propositionumq; partes, quæ sint, his in libris docet: primùm ut à primis naturæ ordinem secutus ordiatur. Quapropter uerba simplicia, id est, minimas ratiocinationū partes in eo libro qui est inscriptus, Categoriæ, exponit. Maiores partes, & quasi membra cuiusmodi sunt enunciationes, quæ sint, docet in libro de interpretatione. Ratiocinationū autem cum uideret duo esse genera, unum quo aliquid probabiliter, alterū, quo necessariè concluderemus, eáque ratione qua aliquid concluderetur, inter se distingui: id genus quod facilimum erat, probabili ratione aliquid efficiendi, in Topicis explicauit. alterum quod necessaria ratione cōstaret, in utrisque analyticis, quorum in prioribus solam habuit rationem assumptionum, quatenus causæ sunt conclusionis: in posterioribus autem, causam etiam quærit,

cur uera sit, & quomodo uera possit esse conclusio. Sed quoniã videbat multos esse, qui neutro modo aliquid efficerẽt, sed fallaciter et captiose, ne à verisimilitudine & veritate eorũ captionibus dolisq; detorqueremur, illorũ nobis fraudes eo libro qui inscriptus est, Sophistarum reprehẽsiones, aperuit, eásque quemadmodum non solum vitaremus, verum etiam refelleremus, tradidit. Tibine hæc, Rame, docendi uia, tibi hæc disciplina uidetur à natura dissidere? Nõ uides quàm hæc inter se apta sint omnia? uis quod res est, loquar? In maximum te errorem impulit ignoratio. Artes omneis vna tantũ via & ratione institui et perfici posse existimas. Hoc falsum est. Alij enim tribus modis, vt Galenus: alij quatuor, vt Eustratius, arteis tradi posse cõfirmant. Διαιρέσει, ἀναλύσει, & συνθέσει, id est, diuisione, cõuersione, & compositione. Eustratius addit ἀποδείξιν, id est, demõstrationẽ. Principio enim libri qui inscriptus est, Ars medica, siue ars parua, Galenus scribit his verbis, Doctrina omnis quæ ordine nititur, in treis diuisa est partes: vna ex finis notione progreditur, ea quæ ad finem conducunt retexẽdo: altera ex eorum quæ inuẽta sunt, constructione: tertia ex definitionis diuisione, quam hoc tempore nobis proponimus. Paulò infrà, Nemo tamen ante nos eam quæ à finis notitia progreditur, ex qua artes fiunt omnes, via & ratione conscripsit. a cillam quidem in alio opere adhibuimus. Hoc autem loco

eam quæ diuisione definitionis constat persequemur. Vides, Rame, Galeni sentẽtia tribus modis artẽ posse tradi: eúmque asserere se alio loco aliam docẽdi uiam atque rationem secutũ. Atqui legerat diligenter Platonis illam quam tu unã nos uis sequi. Eius enim mentionem facit in eo libro quem ad Glauconem scripsit. Si Aristotelẽ ob eã causam culpas, quòd illam uiam docendi non tenuit, Galenum etiam debes reprehendere, qui se ab illa discessisse commemorat. Grammaticos etiam, qui non à definitione & diuisione, sed à
a. & r. literis ordiuntur. Vt enim illi cum finem sibi bene loquendi proponant, primũ quot literæ sint, deinde quid dictio, tũ quid sit oratio, quótq; eius sint partes docẽt, postremo præcepta bene loquendi tradunt: sic Aristoteles in disserendi ratione, cum finem uideret esse eius accomodatè ad uerisimilitudinẽ uel ueritatem disputare: primũ à decem primis elemẽtis initiũ sumpsit, deinde enunciationes tractauit, postremo ratiocinationes. Quòd si illorũ institutum probas, cur Aristotelis improbas? An non pictura à qua tã sæpe exa. r. i. emplum sumis, hoc indicat? Apelles si quod simulacrum pingat, nonne primũ, ut ita dicã, incisa deliniat, deinde membra? postremo totũ corpus absoluit? Nam cùm hominem sibi uideat propositũ ad pingendum, qui ex multis mẽbris constet, singuláque mẽbra multis particulis, primũ à capite, id est, à primo membro (hinc enim factum est, ut caput pro initio poneretur)

pingendi principium ducit. & quoniam multis, ut dixi, partibus constat, primùm oculos, nares, os: deinde reliquas partes solet depingere. Nō igitur sine capite, vt vis, dialecticam pinxit Aristoteles, non sine brachijs: nec naturæ ordinē perturbauit, aut confudit, sed seruauit: non partes duas inuētionis & iudicij neglexit, sed earum præcepta, Ciceronis Laertijque sententia, tradidit. Nunc præteruectus sum scopulos, mihiq; enauigasse videor. patet enim iam facilior cursus reliquæ orationi meæ. Ad singulos libros venio. In quo eum quem te seruasse in accusando video, seruabo ordinē. Porphyrij primū institutiones tibi reprehendendas putasti. Seruum eum atriensem Aristotelis appellas. Iocis tuis, aut potius contumelijs & conuitijs respondere non cōstitui. Quod si facere vellem, quæ mihi cito suppeteret facultas & copia? An non facile possem, vt tu dominū Aristotelē appellas, & seruum Porphyrium: sic ego Aristotelem, arborē fru giferam: te, ramum inutilem dicere? Et quēadmodum medici in corpore si quod est mēbrum quod reliquo corpori noceat, id vri & secari iubent, ne totum corpus intereat: sic agricolarum præscripto, in hac arbore te qui reliquæ arbori ut ramus pestifer noceas, vt tota arbor salua sit, esse amputandum? Hoc inquam possem dicere: quid enim facilius quàm vel excogitare, uel legendis libris colligere conuicia, quæ in alterū temere, incōsyderate, ac sine modo iacias? Hoc nō

de Porphyrij

feci adhuc, nec facere decreui. Vt enim argumẽtis uerũ esse quod obijcitur docendũ est: sic rationibus, non maledictis crimina refellenda sunt. Refellã ergo modestißimè, quæ tu petulãtißimè obiecisti. Iam tibi ad illa respõdi quæ affers, cur Porphyrij institutiones legere minime debeamus. In ijs autem hoc primũ reprehendis, quòd quinque tantum uocabula declarat, quæ sint partes inuẽtionis: deinde frustra ab eo susceptum esse hũc laborẽ dicis, propterea quòd eadem ab Aristotele peti poterant. Postremo eius definitiones uellicas. Ad hæc tria paucis respõdebo. Tu si horum uerborum quinque uim, ipsiúsque Porphyrij sententiam spectasses, nũquã eius factũ laboremq; improbasses. Non enim si genus, species, differentia, propriũ & consecutio, quod accidens appellatur, partes sunt inuentionis, aut eadem uerba in Topicis ab Aristotele exposita sunt, idcirco inanis hic Porphyrij labor existimãdus est. Primùm enim hæc uocabula non ad argumentationem Porphyrius hoc loco accõmodat, sed ad definitionũ diuisionúmque, ut ipse fatetur, scientiam, & ad Categoriarum disciplinã. Nam cum ipse intelligeret, definitiones alias ex genere ac differentijs constare, alias ex proprijs, alias ex ijs quæ rebus attributa sunt, réque consequuntur, confici: itémque genus ac totũ modò in partes, modò in proprietates, modò in attributa solere diuidi: cúmque uideret categorias decem esse traditas ab Aristotele, quarum

prima esset substantia, reliquæ accidentia, omneisque rursus in generibus.formis, differentijsque versari, proprijque multam in categorijs fieri mentionem, nec sine horum cognitione ullum definitionum, diuisionũ, categoriarúmque scientiæ locũ reliquum fore: nõ solũ nõ superuacaneũ, sed etiã valde utilem ac perneceſſariũ hũc suũ laborẽ fore iudicauit. Deinde ut dem tibi hæc sumi potuisse ab Aristotele, certè non omnia potuerunt. Multa enim adiecit de suo, multũ hunc locum adiuuit, multorũque laborem leuauit. Isto quidem pacto Quintiliani, ut de hoc potißimum loquar, laborem cõtemnas licet, despicias ac pro nihilo putes. Quæ enim de arte rhetorica præcepit, ea partim ab Aristotele, partim ab Hermagora, partim à Cicerone, alijsque permultis fuerãt antè tractata. Quinetiam te ipsum testem cõtra te possum producere. Cur enim nouã tu dialecticã tradis? cũ paucis uerbis immutatis, ab Aristotele, Cicerone, & Quintiliano peti possint omnia. Si te aliquid addidisse de tuo dicis, hoc idem fecit Porphyrius. Si hoc tibi glorioſum esse ac fore ducis, cur idem in Porphyrium inuidioſum esse cẽses oportere? Nã quod à te obiectũ est, non satis perspicuè hæc quinq; ab eo esse definita uocabula, in eo nõ solũ acerrimũ te censorẽ præbuisti, sed etiã imperitißimũ. Vis enim genus sic definiri: Genus est dictio, quæ interroganti quid est, de plurimis rebus respõdetur? Speciem hoc modo, Species pars ea est, de qua genus

ita respondetur. Differentiã sic, Differentia est forma rei, & ea causa propter quã res est id quod est. Proprium, hoc modo, Proprium est uis naturaliter insita, omni solique subiecto semper conueniens. Accidens his verbis, Accidens est quod cũ adest abéstve, subiectum nihil immutat. In his multa sunt quæ iure reprehendam. Primùm enim ex te quæro, háne definitiones ad rerũ vocabula, an ad res quas uerba declarãt, an ad vtrũque uelis pertinere? Ad verba ne? At nõ posse ad ipsa accõmodari omnia, hinc intelligi potest, quòd Propriũ uim esse dicis insitã. Vis autem, res est, nõ uerbũ. An ad res quæ verbis significãtur? at genus dictionem esse definis. Quæ ista inconstantia est? quæ noua doctrina? quæ correctio & emendatio? Quid quòd cum his etiam imperitiam coniunxisti? Quis vnquam præter vnum te negauit de toto dici differentiam? Differentia, inquis, forma rei est, & ea causa propter quam res est id quod est, vt animal à sentiente anima, animal est: homo à ratiocinante anima homo est. Anima igitur ratiocinans, tua ratione, hominis differẽtia est. Ita hæc erit hominis quã dabis, definitio, Homo est animal ratiocinans animus. Quis sic vnquam locutus est? aut quis vnquam animum rationis participem differentiam hominis cõcessit? Aristotelem & Porphyriũ, summos & clarissimos philosophos corrigere vis, nec quid sit differentia potes dicere. Melius ergo quàm tu & Aristote-

les & Porphyrius hæc definierunt: Genus est quod de pluribus, specie autem differentibus, in quæstione qua quæritur quid res sit dicitur. Species est quod de multis, numero autem differentibus, cum quæ rei vis & natura sit quæritur, dicitur. Nam quod ais, in rebus definiendis omnem orationem ad sensum popularem accommodari oportere, id & falsum est, & fieri nō potest. Quam enim multæ sunt res in artibus, quæ à vulgi abhorrent & sensu & opinione? Quibus nónne noua & vulgo inusitata imponenda sunt nomina? Hoc Cicero te docere potuit. Scribit enim in lib. primo Academic. quæst. his ferè uerbis, quid de hac re sit tenēdum. Qualitates, inquit, appellaui, quas ποιότητας Græci uocant, quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum verò verba nulla sunt publica, suis vtuntur. Et id quidem commune omniū est fere artium. Aut enim noua sunt rerū nouarū facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quod si Græci faciūt, qui in his rebus iam tot secula versantur, quāto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur? Tu verò, inquam, Varro benè etiam meriturus mihi videris de tuis ciuibus, si eos non modò copia rerum auxeris, vt effecisti, sed etiam verborum. Vides, Rame, philosophorū & dialecticorum verba nulla esse publica, sed eorum propria. Vides ætate Ciceronis cum primum tractaretur Phi-

losophia latinis literis, qualitatis vocabulum non modò non tritum vulgo, sed ne doctis quidem vsitatum fuisse. Itaque eo vsus est, multisque alijs pedetentim ac sensim, eáque dicit facienda tractando vsitatiora. Nec tu lepidus es, qui tãquam uulgus omnibus disciplinis instructũ sit, ita uerba quibus omniũ artiũ homines utũtur, ad eius sensum uis accommodari. Quòd si hæc tibi minus multa sunt, lege quæ initio libri tertij de Finibus scripsit in eandem sententiam, Stoicorum autem non ignoras quàm sit subtile uel spinosum potius disserendi genus. Idque cùm Græcis, tum uel maxime nobis, quibus etiam uerba parienda sunt, imponẽdáque noua nouis rebus nomina. Quod quidẽ nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius usus uulgaris cõmunisque non sit, multam nouitatem nominum esse, cum construantur earũ rerum uocabula, quæ in quaque arte uersentur. Itaque & Dialectici & Physici uerbis utuntur ijs, quæ ipsi scientiæ nota sunt. Geometræ uerò, Musici, Grammatici etiam more quodam loquuntur suo. Item ipsæ Rhetorũ artes, quæ sunt totæ forenses atq; populares, uerbis tamen in dicendo quasi priuatis utũtur ac suis. Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi uocabulis uterentur, nobis incognitis, usitatis sibi. Quinetiã agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegãtia, tamẽ eas res in quibus uersatur, nominibus no

tauit nouis. Quò magis hoc philosopho faciendum est. Ars est enim philosophia uitæ, de qua disserens, arripere uerba de foro nõ potest. Satisne tibi aperte repugnare uidetur Cicero, cuius te auctoritate niti existimas? In quo ualde miror te, qui omniũ auctoritatem cõtemnas, illum habere uelle auctorem: eius rei præsertim, quam nec dicit nec probat. Nã quod ais illum scribere, Scientiam mihi reseruaui, usum populo dedi: non intelligis eo loco usus uerbũ dici pro exercitatione. Cum enim Cicero à Rep. abesset, eius temporibus prohibitus, scientiã quidẽ bene dicẽdi habebat, usu autẽ eius carebat. Aliud est enim rerũ aliquarũ scientia, aliud usus et exercitatio. Loquẽdũ autẽ est more populi, ijs in rebus tãtũmodo, quæ in populi et uulgi more uersantur. Quod de reb° artiũ omniũ dici nec debet nec potest, quemadmodũ Ciceronis superiora uerba declarant. Equidem tibi censeo omneis qui ubique terrarũ sunt homines monendos, ut relictis suis omnibus negocijs, in ludũ quem aperuisti conueniant: fore enim ut ad sesquiannum omnibus eos bonis artibus tinctos eruditósque dimittas. Quis enim est, quem non hoc promissum tuum concitet? Sed de his alio loco disseremus. Nunc satis est intelligi, Ramum uerba Dialecticorum publica dicere: negare Ciceronem, cuius auctoritate ad id persuadendum abutatur. Quod sequitur crimen non minus ridiculum est. Hæc probas, Plato est species hominis, hæc herba est species platani, hæc gẽma est ste-

cies ſmaragdi: uidelicet ut inconſtantiæ crimen effugias. Nam cũ ſpeciẽ ita definires, Species pars ea eſt, de qua genus ita reſpõdetur, exẽplum hoc protuliſti, ut Socrates hominis, & homo animalis ſpecies eſt. Quis unquã uel mediocriter eruditus, indiuiduum ſpeciem eſſe conceſſit? Non, inquies, auctoritatẽ cuiuſquam ſequor, proprietatẽ & uſum uerborũ à uulgo petendum arbitror. Primũ eodẽ reuolueris. Deinde à Platone, ueritatis ut ais magiſtro, diſcrepas. Ille enim (ut etiã Galenus initio libri quem ad Glauconem ſcripſit, & ipſe Porphyrius in hoc libro quem improbas, tradunt) eo ipſo loco Philebi, in quo dialecticæ ortum à fabula Promethei ducit, quam eius opinionem defendis: ille, inquam, ſcribit oportere nos ſemper propoſitam uniuſcuiuſque ideam & ſpeciem quærere: eam enim nos inuenturos, ſi eam comprehẽdamus animo: tum poſt unam ſimtne duæ nobis uidendum eſſe: ſi ne tum quidem inuenerimus, eam in tribus quærendam eſſe, aut in certo alio numero, eodẽmque modo illarum unãmquanque eſſe diuidendã, quoad id quod initio unum nobis propoſitum erat, non ſolum unum eſſe, & multa & infinita quis perſpiciat, ſed etiam quot eius ſint partes. Infinitatis autem ſpeciem nihil ad multitudinem antè conducere, quàm omnis eius numerus comprehendatur, is qui inter unum genus & infinitatem ſit locatus. Tum uerò unumquodque eorum omnium quæ infinitè diuidãtur, eſſe reliquendum. Atque hæc quidem Plato, cuius hãc

diuidendi & docendi rationem probas. Tu autem ab eius doctrina abhorres. cũ enim ſpeciẽ ille nobis quærendam cenſeat ſolũ in generibus & formis, quæ ſunt interiectæ inter id quod quærimus & res ſingulas quæ infinitæ ſunt: tu contrà res ſingulas, formarum appellas nomine. Ita rurſus in illas erit diſtribuendum id quod quæritur: quod neque fieri poteſt, nec Platoni placet. Nõ igitur indiuiduum, ut uis, ſpecies eſt. Neque uerò ſi uulgus ita loquitur, continuo philoſophi qui aliter loquuntur, improbandi ſunt. Vulgus enim ad opinionem, & ſenſum: philoſophi ad ueritatem, & rationem tanquã ad regulam, ſuam omnem dirigunt orationem. Hoc illa Ciceronis uerba indicant, Alia eſt illa, cum ueritas ipſa limatur in diſputatione ſubtilitas, alia cum ad opinionẽ communem omnis accommodatur oratio. Si enim tu qui omnia uulgo permittis, uulgus ipſum roges, quem appellet amicum, quem beatum ducat, uelis ne eius ſtare iudicio? præſertim cum amicum eum putet, à quo maximas utilitates percipiat: beatum eum, qui magnas opes habeat. Sunt enim eius hæ definitiones. Multa dicere poſſũ in eandẽ ſententiã. ſed uereor, ne in re minimè dubia ſim lõgior. Quàm ergo ridiculus es, qui philoſophos ex imperitæ multitudinis iudicio uis pendere, ut ab illa loquendi præcepta accipiant: nec uerbum ullũ uſurpẽt, quod illa antè non probauerit? Rides hoc philoſophorum dicendi genus, Platanus eſt ſpecies huius herbæ, homo eſt ſpecies Platonis. Hoc cũ illi dicunt (quod cer-

tè raro faciunt) non hoc dicunt, Platonem aut Platonis uerbum latius patere quàm hominis, (hoc enim perſpicuè falſum eſt,) ſed Platonem generali hominis appellatione, quæ ſpecies eſt, contineri. Quemadmodum enim in re aliqua definienda primum eius adhibendum eſt genus, ut ſi hominem definire uelim, animal primo loco ponam, idque hominis genus philoſophi dicunt & recte dicunt: ſic de homine, aut hominis uocabulo ut de ſingulorum hominum ſpecie in eam quam dixi ſententiam iudicare debemus. Quod ſi genus, ſpeciei genus eſſe concedis cum philoſophis, hominis profectò genus animal fateare neceſſe eſt. Atqui uulgus hoc nunquã cõceſſerit, ſed contra potius, hominem eſſe animantis genus. Quid eſt igitur, cur nos uelis ad popularem ſenſum in illo altero, accommodare orationem, in hoc non uelis? Si uulgus generis nomine pro ſpeciei, ut uis, abutitur, cur philoſophis uerborum proprietatem eripis? Quæris deinceps cur ſolis generibus à Porphyrio differentia tribuatur. Quòd infimæ ſpeciei nullam eſſe duxerit eiuſmodi de qua diceret. De ea enim modo qua genera in ſuas partes diuiduntur, diſſerit. Hoc loco rides philoſophorum diſtinctiones, eáſque uocas barbaro nomine, abuſiones. Ambiguã uerbi ſignificationẽ quo nam pacto in argumentatione uitare poteris, niſi adhibita diſtinctione? Cauſarum tu genera multa & probas & tradis. Si ex te quæram, ſitne animus cauſa hominis eo modo quo pater aut mater? non eſſe dices. Si

id contrâ docere uelim, à definitione hoc modo, Causa est, cuius ui aliquid est: animi autem ui homo est quemadmodum à patre aut matre: animus igitur eo modo causa hominis est, quo pater: tu mihi scilicet occurres, negabísq; ab animo eodem modo hominẽ esse, quo modo à patre, uariámque illam rationem causæ explicabis. Quod cum facies, nónne idem quod distinctio illa, tua uelebit explicatio? Quid enim interest, dicas, ab animo ut à causa formali hominem esse, & à patre ut ab efficiente: an primum cum ex te quæritur, Sitne animus causa hominis, distinguas formalem ab efficiente? Item si ex re quærã, sitne uirtus se ipsa cõtẽta ad bene beatéq; uiuendum? tu fortasse uitans uerbum hoc distinctionis, respondebis eam se ipsa esse contentam Stoicorum sententia. Sed quid interest inter hoc tuum responsum, & illud quod philosophus aliquis respondeat? Distinguo, Stoicorũ quidẽ sententia satis in se præsidij uirtus habet, Peripateticorũ nõ satis. Ita uelis nolis, si nõ uerbo, at re certè distinctiones probas Sequitur alia reprehẽsio tua. Porphyrio, quæstiões quasdas difficiles obijcis, quas in epistola ad Chrysaorium explicaturũ se negat, in eóque ipsas ob eam causam maxime exagitas, quòd grauius offendit, quàm si plena disputatione tractasset & explicasset. Proposuit enim, inquis, ænigma, in quo dissoluendo se miserè torquerent. Tibine homini æquo & pro ueritate decertanti æquum uidetur, culpam transferre ab auctore in alterum? Quando non licuit libros

ſcribentibus, initio operis de quibus ſint & de quibus non ſint dicturi proponere? Quod ſi quis librum aliquem interpretans, ea quæ auctor libri ſibi prætermittenda cenſuit, perſequatur, utri id uitio dandum eſt, ſi modo eſt? A proœmio ad librum te cõuertis, primúmque rogas, quorſum ſignificationes in generis definitione neſcio quot enumerentur: hoc enim grammaticorum eſt, inquis, non dialecticorum. Deinde illud quæris, quorſum tam longa támque moleſta oratione generis à cæteris quatuor uocabulis differentia colligatur. Illud prius ita repehendis, quaſi uero non ſit dialecticorum ſignificationes multas uerbi notare. Si tua confeſſione illud eſt grammaticorum, qui ſolum uerbáne aptè hæreant inter ſe ſpectant: quanto magis dialecticorum, qui præterea ueritatem intuetur, quam aliena uerborum ſignificatio obſcurare & omnino tollere poteſt? An non aptè hoc loco Porphyrius cum de genere diſſerere uellet, unde generis nomen ductum eſſet, notauit? Quid in eo uitij eſt? quid non potius laudis? In eodem errore altera uerſatur reprehenſio. generis enim definitionem nõ ſolum tradidit Porphyrius, ſed quid quæque in ea uox efficeret, docuit: quod non ſolum ad generis expoſitionem, ſed ad aliarum etiam rerum definitiones cognoſcendas ualet plurimum. Quòd ſi pro incredibili tua eruditione facile intelligis ueram definitionem eſſe rei definitæ à cæteris diſtinctionem, pátere Porphyrium noſtræ imperitiæ conſulere. Nam quòd à te obiecta eſt ei

uarietas definitionum ſpeciei ac differentiæ, ob id maxime quòd potuerit una & ſimplex & uera unius ſimplicis ueræque naturæ eſſe declaratio: nõ uideris intelligere nec rem unam multis modis poſſe definiri, nec has definitiones alias aliorum eſſe Peripateticorum. Rides, quod ante te Valla fecit, ſpeciem ſpecialiſſimam, genus generaliſſimũ & ſubalternum. Nolo hæc ut latina defendere. illi primi quidem homines qui dialecticam Ariſtotelis ad cognitionem noſtram tranſtulerunt, cum uiderent uerba græca idem ualere, uerbũ pro uerbo minime dubitarunt reddere. Tu ſi quid melius habes, profer in medium, nec ride eorum diligentiã qui nobis conſulere uoluerunt. Primorum hominum caſas ſi cum magnificentia ædium huius ætatis conferas, tum magis eos rideas. Sic enim res habet, Omnium rerum principia parua ſunt & inchoata. Fuit illa trãsferendorum librorum de Græcis quædã infantia: aut ſi mauis, temporis fuit culpa illa, non hominum. Ne tu quidẽ melius ſi tum fuiſſes, quàm illi, fuiſſes locutus. Sed ut dem tibi iſtam illorum minus latinam eſſe orationem, certè Porphyrij talis non fuit. Cur tu huic uis inuidiam ex aliorum inculto ſermone conflare? An confuſa eſt diuiſio ſpeciei in infimam, & eam quam uocant ſubalternam? Nonne idem ualet quod hæc, ſpecies alia & genus & ſpecies eſt, alia ſpecies tantummodo: in qua quæ tandem ineſt perturbatio? Atque etiam ordo quem ſeruat in tractanda differentia, tibi reprehenſione uiſus

est non carere. Vitiosè enim & insciteè quatuor diuisiones primo loco ab eo tractatas esse dicis, cum primo definire debuerit. Quasi uero ambiguitas uerbi primo loco minimè sit notanda. Quæro ex te, si de cane esses dicturus, an non primum uerbi ambiguitatem tolleres diuisione adhibita: deinde id genus quod uelles sequi definires? Nonne eodem modo Cicero primum quæstiones diuidit in Topicis, deinde definit? Quæstionum, inquit, duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam. Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Tum sequuntur definitiones, Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negocijs cernitur: aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. De officijs etiam cum esset disputaturus, à diuisione cepit exordiũ, Omnis de officio duplex est quæstio: Vnum genus est quod pertinet ad finem bonorum, alterum quod positum est in præceptis. &c. Sequitur etiam alia diuisio, Atque etiam alia diuisio est officij. Nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. Tum definitiones sequũtur. Videsne hic Rame multas diuisiones? uides prius diuidi uerbum ambiguũ in suas partes à Cicerone, quàm definiendo explicari? Si Porphyrium dignum reprehensione putas, Ciceronis etiam res in eodem loco erit. Tibine ab Aristotele uidetur in errorem impulsus fuisse? Nam quodam loco id

dicere minime dubitasti. De quo mox uidebimus. Nũc quæ sequuntur consyderemus. Porphyrius longa satis nec minus suaui oratione hæc quinque uerba inter se cõfert, ut quid inter se differant, quibúsque in rebus conueniant, intelligatur. Tu eius hoc tam præclarum factum reprehendisti. Sed quid eum ad hunc locum uenire coegerit, operæprecium est cognoscere. Eius hanc omnem orationem, ut superuacaneam & minus necessariã ridet. Si, inquit, quinque illa uocabula rectè definieras (ad Porphyrium enim orationem conuertit) nõne has differentias & communitates expresseras? Nõ intelligit noster Ramus, aliud esse definire uim & naturam eius rei quæ definitur, aliud ea quæ illi consentanea sunt, quæ repugnantia, antecedentia, consequentia, aliáque eius generis exponere, eáque cum alijs comparare. Definitio breuiter ac dilucidè rem explicat, hæc breuitas non patitur longã orationem. Hoc igitur alterius partis officium est. Præterea quàm multa commemorare possum eorum quæ illis communitatibus & proprietatibus traduntur, quæ ne doctus quidẽ ex definitionibus unquam elicere potuisset, nedum Dialecticæ rudes quibus hoc totum scribebat, potuissent? Si hæc Ramus quòd doctus sit, negligit, ne ea indoctorũ causa scripta esse molestè ferat. Quòd si docti etiam hac in parte sibi cõsultũ putant, quid est quãobrẽ nõ inuidia ductũ se, hæc reprehendere fateatur? Atqui nemo est

paulò eruditior, quin se instructiorem ab his ad argumẽta tractanda uenire concedat. His enim inter se conferẽdis uocabulis, hoc omnes possunt discere, Genus ad euertendam speciem multũ posse, ad confirmandã nihil aut parum: speciem firmam habere generis probationẽ, euersionem nullam habere. In quo aliisque permultis si inuentionis pars aliqua dominatur, non omnino ut ille existimat, abhorret hæc doctrina ab inuentione. Quæ cùm ita sint, quanto æquius est me adhortari omneis, ut in hæc studia incumbant, in ijs multum diúq; uersentur, hæc meditentur, in ijs se exerceant? quàm istum hæc uituperare, improbare, detestari, cæterorúmq; partes dicere, has esse pestes publicorum studiorum quas detestari, odisse, & execrari debeant? Neque uerò hoc solum facit, sed hortatur omneis bonos, ut ab his studijs suos abducant & abstrahant: qua quidem uoce & oratione quid indignius? quid insolentius fingi aut cogitari potest? Quod si in Porphyrium modò propter eius institutiones ita se gereret, tamẽ omni odio dignus uideretur. Nunc cum Aristoteli, quem hæc Academia ferè ab octingentis annis quibus stat, reliquæque omnes eius imitatione probarunt, multo acerbiorem iniquiorémque se præbeat, quo in eum animo esse debemus? Mihi quidem non est dubium, quin re cognita, omnes idem sint existimaturi. Iste primum à Porphyrij institutionibus ad Aristotelis Categorias omnem cõuertit orationem: sed ita, ut si quæ dicit legas, ea tibi

ab eo qui non in literis, sed qui in armis omne tempus ætatis contriuerit, profecta sis iudicaturus. Signum dari iubet, impetum facit in castrorum propugnacula, uexilla hostium sublata aggreditur, dispositã aciem adoritur, inermes hostes confodit, uictoria potitur. Bellum scilicet grammaticale perlegit, unde hæc sumpsit omnia. Sed quorsum hæc ludicra, præsertim in re tam graui & seria? Sic pugnatur pro ueritate? Si ingenij specimen edendum est, non alia præstãtiora & graviora suppetere potuerunt? Si hoc pacto placet rem, quam nefariam ducas, improbare, quæ tam sancta esse potest, quam non isto modo liceat euertere? Non contumelijs uel dictis res falsæ aut improbæ refelli debent, sed argumentis, rationibus, auctoritatibus. Quapropter non contumelijs contumelias, non dictis aut risu risum dissoluemus, sed ratione & ueritate. Hic quoniam ordinem quem seruat Aristoteles, nescit, homonyma, synonyma, paronyma, quéque ante categorias, & post categorias tractãtur, ea dicit his in locis nõ debuisse tractari. Ait enim homonyma, & synonyma furta esse Aristotelis, quòd grammaticorũ sint possessiones: paronyma, contraria, commodius in Topicis tradi potuisse. Quæ argumenta si ualere debent, non solum cõtra Aristotelem, sed etiam contra omnium artium inuentores & homines ualebunt. Nam rhetores (ut de his potissimum dicam) ambiguis uerbis utuntur. Quanquã Cicero in secundo libro de oratore, ambiguorum uerbo-

rũm distinctionem propriam dicit esse Dialecticorum. Quæ autem ars est, quæ non uerbis utatur suis? quæ non nomina, uerba, aduerbia, præpositiones, cæteraſque partes orationis adhibeat? Atqui hæc omnia sunt grãmaticorum propria. Est enim earum ars omnis in loquẽdo. Non igitur hæc contra Aristotelem est magis, quàm contra reliquarum artium homines oratio. Quid si doceã nõ esse hæc propria grammaticorum, sed eis cũ cæterarum artium hominibus communia? Res militaris magna est ars quædam, quæ frenis, sellis, equis, nauibus, aliisque eius generis utitur. Num hæc fabris, frenarijs zonarijs, surripere, furariue dicitur? non certè magis quàm textor pectines pectinarijs. Quid ita? quia ut quæque ars sordidissima est, minimèque liberalis: ita quæcunque facit, ad optimam quanque refert. Sic enim à natura generata sunt omnia, ut imperfecta perfectorũ, minus perfecta magis perfectorum gratia sint parata. Quòd si in artibus grammatica infimum locum omniũ consensu tenet, certè quicquid tractat, quicquid agit aut molitur, id reliquarum artium usui parat. Quod autẽ ad alia attinet, cum de ordine quem hoc in libro seruat Aristoteles dixero, tũ hæc nulla ratione obiecta esse, intelligentur. Cum esset de decem uocabulis, quæ reliqua omnia continerent, hoc loco disputaturus Aristoteles, more omnium fere qui artes cõscribunt, quæ iam præcepta generalia primum posuit, quò facilius intelligerẽtur quæ uellet tradere. Itaque quoniam Synonyma ſo-

lum ad hæc decem prima genera pertinere uoluit, quæ sint homonyma & synonyma primum exposuit. Cunque solum simplicia uerba tractare constituisset, quæ illa essent, quæque coniuncta explicauit. Eodemque modo de ijs præceptis quæ tradit iudicandum est. Atque hac quidem causa ductus, quæ antecedunt, posuit. Eorum autem quæ sequuntur Categorias, eadem fere ratio est. Nam cum sæpe in tractandis categorijs contrariorum mentionẽ feciſſet, eorúmq; quæ priora & posteriora essent naturæ ordine: horum sibi omnium distinctiones rationésque, quas illic, ne ordinem perturbaret, prætermisisset, pòst aperiendas censuit. Cúmque in faciendi patiendique categorijs magnam uim motum habere uideret, habendique categoriam uno modo tantũ dici, & tamen multis dici uideri posse intelligeret, de his habuit necesse dicere. Quæ si Ramus consyderasset, profectò aciem suam, & uexilla ridicula fore cognouisset. Quæ enim grãmaticis reddi uult, quæ physicis, quæ alio loco tradi posse commodius dicit: ea non tam grammaticorum & physicorum quàm dialecticorum propria, & hoc etiã loco rectè præcipi iudicasset. Cui enim dubium est, quin eadem multis locis, si ita res ferat, commodè tradi possint? In topicis Aristoteles contrariorũ locum ob eam causam tractat, quòd magnam copiam argumentorum suppeditent: in categorijs, quòd uerba simplicia & res sint inter se contrariæ: in libro de interpretatione, quòd etiam enunciationes contrario oppo-

sitæ sint nomine. Hæc igitur nulla ratione nititur reprehensio. Sunt enim uoces temerè & inconsyderatè missæ, quæ ad omnia accommodari possunt. Sed tamen ea refellenda sunt, ne ueri speciem minus cautis gerere uideantur. A maledictis propugnaculorum quæ anteprædicamẽta & postprædicamenta uocantur, ad Categorias eius est delapsa oratio. Has multis modis reprehendit. Primum decem hæc genera, non Dialecticorum propria esse dicit, sed Physicorũ, Mathematicorum, atque eorum qui de moribus disserunt. Deinde tã latè patere hæc omnia negat, quàm uult Aristoteles: in quo materiam, in qua Dialectica uersetur, reprehendit. Atque ad prius quidem illud iam respondimus quodam modo, cũ easdẽ res à multis & uarijs artibus tractari posse demonstrauimus: sed tamen hoc in loco diutius cõmorandũ est. Naturas siue substantias corporeas Physicorũ esse dicit, quantitates Mathematicorũ, qualitates philosophorum qui de moribus disputãt. ea quæ cum aliquo conferuntur, faciendi patiendique categorias Dialecticæ inuentionis. De his dicere non possum, quin de altero, in quo Dialecticæ materia posita est, cõiunctè disputem. Dialecticam quidem sic uersari in rebus, ut potiora rebus uerba habeat, nomen indicat. De rebus autem omnibus Dialectico propositũ esse disputare, cum multi alij, tum ipse Cicero confirmat, Zeno quidem, inquit, ille à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset.

Nam cum compresserat digitos, pugnúmque fecerat, Dialecticam aiebat eiusmodi esse: cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit illã artem quasi ex altera parte respondere Dialecticæ: ut hoc uidelicet differant inter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Hoc autem sumptum est à principio artis rhetoricæ quæ extat, quemadmodum supra docui. Principium enim hoc est, ἡ ῥητορικὴ ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. *Hoc probat hac ratione, Vtraque enim in eiusmodi rebus uersatur, quas cognosse omnium artium commune est, non alicuius certæ scientiæ. Cicero autem multis locis docet oratorem de rebus sibi propositis debere dicere. Quæ cum ita sint, non est dubium quin Dialecticus de naturis, de numeris & magnitudinibus, de uirtutibus ac uitijs disputare debeat. Quod etiam Ramus paulò infrà inquirens in Topica, quasi secum discordans, asserit his uerbis, Dialectica est doctrina omnium cogitationum, consiliorum, disputationum, rationũ: tu ad problematis præsepe quatuor istis cornibus alligabis? Si aduersarij confessione in rebus omnibus uersatur Dialectica, cur hæc decem genera aliena esse dicit à Dialecticæ professione? Quia sic eum cæcum inuidia uel contradicendi studium effecerat, ut quid in una pagina scripserat, ei in altera in mẽ-*

tem non ueniret. Quid ergo attinet plus nos ſtudij atque operæ in hac re docenda ponere, cum aduerſarium habeamus cõfitẽtẽ? Nihil certè ipſe poſtulare poteſt, ſed aliorum cauſa id planius faciendum eſt. Res quidem omnes Dialectico propoſitæ ſunt ad diſputandum, ſed ita, ut in eis inquirat primum uim, naturam, genera uerborum & ſimplicium & copulatorum. Deinde quid uerum ſit, quid falſum, quid efficiatur è quoque, quid cuique conſequens ſit, quidq; contrarium: cúmque ambiguè multa dicantur, quomodo quicque eorum diuidi explanarique oporteat. Hoc enim officium eſt Dialectici: quod cum per omnia diſciplinarũ genera fuſum ſit, cui dubium eſt quin in omnibus diſciplinis ſuum officiũ munúſque tueatur? Nam dialectica uel in certis rebus uerſetur, uel in omnibus, uel in nullis neceſſe eſt. In nullis eã uerſari nemo dicet. Si in certis, cedo quæ tandem illæ ſint? Grammaticorúmne? At grãmatica uerſatur in omnibus. An mathematicorũ, phyſicorũ, philoſophorũ qui mores conſyderant, medicorum? At iſte negat. Si nullæ res præter has ſubiectæ ſunt artibus, uel in eis uel in nullis uerſabitur. Quietiã res omneis ei eſſe propoſitas nomine ipſo declarari uidetur. Dialectica enim omnino à diſſerẽdo appellata eſt, nulla certa re ſubiecta de qua diſſerat. Nam quæ in certo rerum genere uerſantur, eæ definitum illud genus ipſo complectuntur nomine. Vt aſtrologia, quod de aſtris diſſerat, dicta eſt: geometria, quòd terræ uim & naturã deſcribat: A-

rithmetica, quòd numerorũ rationẽ tradat. Quæ cum ita sint, non est iam isti habenda fides, non solum quòd à se ipse de hac re diſsẽtiat, sed quòd à ueritate ipsa cogamur cõfiteri de rebus omnibus Dialecticam disserere posse. Naturas ergo, quas vocamus substantias, Dialecticus consyderat: magnitudines atque numeros contemplatur, virtutes ac vitia cognoscit, sonos & modos exquirit: sed ita, ut primum uerborũ simplicium naturam quærat, ueluti quid sit, sitne genus an species: si genus, quæ sint eius partes. deinde uerborũ coniunctorum naturam, in quo inquiret quid uerum sit, quid falsum. Postremo quid e quoque effici concludique possit. Sunt igitur hæ omnes res communes cæteris artibus cum Dialectica, aliæ res ipsas primũ, deinde uerba quæ sunt rerum notæ consyderant: quorum cum prius faciunt, suo: cum posterius, Dialecticæ munere funguntur. Dialectica primũ, vt dixi, uerborum vim spectat, deinde rerũ. Hæc uera est de Categorijs sentẽtia. Quapropter inscitiã omnes Rami perspicere possunt, non solum quòd Dialecticæ dicit ab Aristotele attributum quod erat cæterarũ proprium, sed etiam quòd hæc commodius fuerant in tres philosophiæ partes distributa. Neq; enim & hæc decẽ generibus accommodauit, & non philosophiam in treis parteis diuisit: Sed cum treis philosophiæ parteis posuisset, suas cuique res in quibus uersaretur attribuit. Quod ex singulis partibus, quas diligenter & accu-

ratè perſecutus eſt, perſpici licet. Nunc ſi mihi idem propoſitum eſſet, quod iſti, ut in eum dicerem, quãtam mihi ſuppeditat facultatem ad maledicendum? Sed in ſuſcepto conſilio perſeuerabo, in animisque bonorum omnium impreſſum relinquam, quid de eo exiſtimare debeãt. Antè quàm à Categorijs diſcedo, uolo argumentum expendere, quod ad ridendam categoriarum rationem plurimum ualere arbitratur. Prædicamentum eſt (dicitis) ordo rerũ uno ſummo genere cõprehenſarum, per genera, ſpecies, differẽtias, diſtributus: At hæc Ariſtotelea fabuloſitas non eſt ordo rerum uno ſummo genere comprehẽſarum, per genera, ſpecies, differentias diſtributus: Non eſt igitur prædicamentum. Tum aliquem facit diſtinguẽtem, actu, uel potentia ſunt prædicamenta, ſcilicet ut riſum moueat. In quo uidete quàm ſit hæc eius ridicula argumẽtatio. Primum enim ſi in ſubſtantia qualitate & quantitate id dicam reperiri, quò progrediatur non habebit. Deinde ſi hoc eius argumentum ualet, ne grammaticorum quidem ars ulla erit, cum & partes orationis octo ponant, nec omnia enumerent quæ ad eas pertineant: & duas & uiginti literas dicant, nec infinitas numerent. Vt enim illi octo partes orationis ponunt, quòd nulla pars proponi poßit, quin ad illarum aliquam referatur: ſic Ariſtoteles decem hæc elementa dialecticæ ponit, quòd quicquid ea ars tractet, ad aliquod eorum pertineat. Si libri omnes uel exuſti eſ-

sent, vel amißi, nullane esset ars, nulla scientia? Nonne animum potius quàm chartã scientia attingit? præsertim cum in animo sedes sit scientiæ: animi sensa verbis exprimamus, ac tandem literis verba orationémq; mandemus. Imperitè igitur & inscitè iste facit, qui non secus ab Aristoteleis hos vocabulorum decẽ ordines postulat, atque à Grãmaticis uerborũ omnium coniugationes postularet. Atque etiam hæc vt inutilia respuit, quòd, ut arbitror, nũquam vllam partẽ veræ Dialecticæ gustauerit. Qui enim primum artis quasi vestibulum quem fructum ferat, nunquam intellexit, vix aut ne vix quidem ex arte fructum vllum percipere potest. Atqui maximũ fructũ hæc omnis disciplina pollicetur. Nam cum propositum sit huic arti aliquid probabili vel necessaria ratione confirmare, idque vel ratiocinatione vel inductione cõfici oporteat, quarũ vtraque enunciationibus consiet, & uerbis simplicibus enunciationes: profectò in ea re plurimum potest, quid simplicia verba declarent, quo modo inter se affecta sint, tenere. Quî enim aliquid docere potes, nisi intelligas quid res proposita significet? quid res quam ei velis attribuere? quod cum tenueris, tamen illud præterea scire debes, quo inter se illæ res affectæ sint, si quid velis concludere. An non hæc omnia Categoriarũ ratio tradit, quæ omnia verba uel substantiam & naturam, vel quantitatem, vel relationem, vel qualitatem, vel locum, vel tempus, uel

accubationē, uel habere, uel facere, uel pati declarare demonſtrat? Propoſitis autem duobus uerbis, nónne ſi quæras quo inter ſe modo affecta ſint, id tibi hæc ſciē tia indicabit? ut, ſintne ut totū & pars, ſintne conſequentia, antecedentia, conſentanea, repugnantia, cōtraria, coniugata? Quapropter hanc diſciplinam retineamus, vt utilem & maximè neceſſariam: Rami contradicentis orationem, vt pernicioſam repudiemus. A Categorijs ad Topica ſe contulit: mallem librū de interpretatione, naturæ certè ordine priorē, antè conſyderaſſet. Cum enim Categorijs ſimplicium verborum ratio contineatur, ſequebatur, ut prima ſimpliciū coniunctio, quæ enunciatio uocatur, non iudicio attribueretur, ſed inuētioni. Inueniendum eſt enim quid dicas, deinde quēadmodum id dicas iudicandum eſt. Quōd ſi ratiocinatio inuentionis eſt, quanto magis enūciatio? Ego tamen eum quem ſeruat ordinē tenebo, ne quid uidear confundere. Mihi duo quædam in his libris uiſus eſt reprehendere. Vnum, quòd ex omniū quæſtionum genere quatuor ſolum Ariſtoteles propoſuit: alterū, quòd ſepties eoſdem locos nimis, ut ait, pueriliter repetiuit. Antè quàm de his dico, hoc mihi ponendum cenſui, omnem quæſtionē de quacūque re ſit, aut ſimplicem eſſe, ut ſitne beata uita? aut cōiunctam, ut ſitne beata uita in diuitijs? Ariſtoteles quidem priore genere prætermiſſo, poſterius his libris perſequitur. His poſitis, facilis eſt & Ariſtotelicæ diſciplinæ cōfirmatio,

& Ramusianæ orationis refutatio. Nã quod ad illud prius attinet, Ramo hoc loco occurrenti nobis, respondemus, si omnis quæstio in harum quatuor aliquã incidit, omnium quæstionũ genera ad hæc quatuor utiliter ac perite ab Aristotele fuisse reuocata. Omnia autem quæstionum genera in hæc quatuor incidere hinc sciri potest, quòd quicquid proponitur ad disputãdum, id uel ex definitione, uel ex proprio, uel ex genere, uel ex accidente constat. Quicquid enim rei propositæ attribuitur, id uel uicißim retro commeat & recipro catur, uel non. si uicißim retro commeat, est uel definitio, uel propriũ, ut sitne homo animal rationis particeps, uel, posßitne homo artẽ discere? Si nõ uicißim retro commeat, uel est genus, uel accidẽs. Nam si in definitione concluditur genus est aut differentia: si nõ sit in definitione, profectò accidẽs sit necesse est. Quid ergo mirum, si Aristoteles cum quicquid quæreretur in disputationibus, id in harum quæstionum quatuor aliquam cadere uideret, nec plura genera, nec pauciora definierit? Quòd si alia præterea sunt genera, ea Ramus proferat, tum non satis uidisse Aristotelem fatebor. Si non potest, cur aliorũ inuenta reprehendit, quæ non potest corrigere? At nimis pueriliter eosdem locos in illis quatuor quæstionibus septies inculcat. Hoc est enim alterum quod obiecit. In quo primũ, numero peccauit. Neq; enim septies, sed sexies, nec semper eosdem repetiuit. Nã cũ libros octo Topicorũ scripserit,

nec in primo, nec in extremo mentionem ullam facit locorum. Deinde, ut hoc ei condonemus tanquam minus omnia consyderanti, quo tandem modo ei satisfacere unquam Aristoteles poterit? Si quid ut perspicuum & facile dicat se prætermittere, aut in eo non longiorem ponere orationem, id quod in sex extremarũ Categoriarum tractatione fecit: tum iste ea ut facilia ab eo prætermitti ait, quæ sunt difficillima. Si quid est huiusmodi, quod maiore quadã expositione egeat, idque præstet Aristoteles cõmunis omnium utilitatis causa: tum idem clamat inculcari nimis pueriliter omnia. Vbi sunt isti Demeæ, quibus nisi quod ipsi fecerint, nihil placet? Si eiusmodi ei uidetur Aristoteles, uideat ipse Ramus ne sit eiusmodi, in quo ut luxuriante amputari multa & circuncidi, aut ut sterili desyderari possint. Quòd si ita absolutus & plenus est, ut nec ei addi quicquam nec adimi possit, patiatur hæc uberius & copiosius ieiunis tradi, qui hanc quã uituperat niniam copiam sibi necessariã ducunt. De his libris nemo adhuc nisi honorifice locutus est. Eos Cicero quãtopere laudauerit, antè dictum est. Plúsne Rami nescio cuius uituperatio ad improbandum, quàm Ciceronis summi philosophi & oratoris ad probandũ ualebit cõmendatio? Quanquam nõ peto, ut Ciceroni potius quàm Ramo fides habeatur, nisi doceã has quæstiones omniũ cõsensu probari oportere. Cui nõ placet hæc distributio Ciceronis, Cognitionis quæstiones tri-

pertitæ ſunt,cum an ſit,aut quid ſit, aut quale quid ſit quæritur. Atqui prima harũ relicta oratoribus, Ariſtoteles duas reliquas ſex libris perſequitur. In ſecũdo enim & tertio,quo qualis ſit res propoſita,aut cõfirmemus, aut refellamus tradit. In quarto, quinto, ſexto & ſeptimo, quẽadmodũ quid ſit id quod quæritur probare uel refutare poſsimus,docet. Cum enim quæritur quale quid ſit, id fit, ut etiã ait Cicero, duobus modis: Aut enim ſimpliciter quæritur, aut cõparatè. Simpliciter,ut,ſitne inimicis benignè faciendum? Cõparatè, ut, Sitne melius amicis an inimicis benignè facere? Simplicẽ quæſtionẽ tractat in ſecũdo libro,cõparationẽ in tertio: ſed eos locos proponit, qui ad ſimplicem quæſtionem poſsint accommodari ſublata elatione aut ſummiſsione, id eſt,comparatione. Cum autem quid ſit quæritur,tum notio,ut uult Cicero,explicãda eſt,tum proprietas,tum diuiſio,tum partitio. Diuiſio quidem & partitio in IIII libro exponitur, quoniam de genere & differẽtijs Ariſtoteles diſſerit,quæ ad diuiſiones adhibẽtur. in quinto proprietas, in ſexto notio & definitio, in ſeptimo de eodem & alio quæſtio: quam formã eſſe definitionis Cicero dicit. Quinetiam eoſdem locos ad eaſdem quæſtiones aptos eſſe uterque dicit. Cicero quidem his uerbis, Ad definitionem autẽ pertinet ratio & ſcientia definiendi. Atque huic generi finitimũ eſt illud quod appellari de eodem & altero diximus, quod genus forma

quædam definitionis est. Si enim quæratur, idemne sit pertinacia & perseuerãtia, definitionibus iudicãdum est. Loci autem cõuenient in eius generis quæstionem, consequẽtes, antecedentes, repugnãtes, adiunctis etiam duobus ijs qui sumuntur ex causis & effectis. Nam si hãc rem illa sequitur, hanc non sequitur: aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic rei repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quouis horũ id de quo quæritur, idemne an aliud sit, inueniri potest. Ad tertiũ genus quæstionis in quo quale sit quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paulò antè in comparationis loco enumerata sunt. In id autẽ genus in quo de expetendo fugiendoque quæritur, adhibentur ea quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa uel commoda uel incommoda. Itemque cum de honesto turpique quæritur, ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est. Atque hæc quidem ille. Aristoteles autem quæ his paucis expressit Cicero, multis libris persecutus est, vt Cicero solos fontes indicasse, Aristoteles quemadmodum à fonte hauriendũ sit, ostẽdisse videatur. Nam Cicero ad eam quæstionẽ qua quid sit quæritur, rationem & scientiã definiendi solum dixit pertinere. Quæ autem illa sit scientia, nõ docuit, nisi paucis uerbis, quæ eadẽ ab Aristotele sumpsit. At Aristoteles tribus libris eam scientiam tradidit. Quanquam hoc mihi Cicero uidetur vt minus

necessarium præterijsse, quod etiam Aristoteles initio lib. IIII. fatetur. Ait enim se deinceps de ijs quæ ad definitionem pertinent disputaturum, quæ eadem rarò in disputationes incidant. Itémque qui loci ad reliquas quæstiones sint aptiores, Cicero superioribus uerbis nullo proposito exemplo tantũ indicauit: Aristoteles autem ad singulas quæstiones qui loci essent accommodati, separatim explicauit. Atque ut quid inter Aristotelis Ciceronísque Topica intersit, exponam, Aristoteles primum quæstionum genera quacunque de re sint, diuisit: deinde qui loci ad quodq; genus adhiberi oporteret, prolatis exemplis illustrãdæ rei gratia, multis libris tradidit. Cicero primo locos omnes exposuit, deinde genera quæstionũ: vt ad eas qui loci essent eorum quos exposuisset, accommodandi, doceret, in quo non longam posuit orationem. Ita non multũ inter eorum libros interest. Quæ cũ ita sint, cur tu Rame hanc qua Aristoteles utitur, quæstionũ diuisionem reprehendis, cum illam quam Cicero adhibet idem efficientem, nec reprehendas, nec possis iure reprehendere? Neque enim commodiorem afferre potes, præsertim cum re aliqua proposita, non possis aliud quærere, nisi quid sit, & qualis. Atqui hæc ipsa Aristotelis illa diuisione sola, ut docui, explicantur. Nam quod obiectum est à te, nimis pueriliter eosdem locos toties ab Aristot. inculcari, id & cur fecerit docui, et Ciceronẽ adũbrasse animaduertimus. Qui enim loci ad quod-

que quæſtionis genus ſint aptiores, explicat: quod etiã facit Ariſt. ſed hoc intereſt, quòd hic fuſius & copioſius, ille anguſtius hæc omnia præſtitit. Atq; hæc qui dẽ ſatis multa ſunt ad hæc duo refellẽda, quæ in Top. reprehendiſti. Nam in conuicijs, contumelijs, iocisque reliqua tua omnis conſumitur oratio. Rides enim eam quam Ariſtoteles exercitationem his libris inſtituit: quam cum tãtopere laudet Cicero, ut ſupra docui cuiuſmodi ſit riſus tuus, facile omnes intelligunt. Veram & liberam tãdem aliquãdo uocem ex me audies, Si ſenſum utilitatis quam ea quæ his libris exponitur, exercitatio parit, aliquem in vita habuiſſes, Ariſtoteli gratiam referres, non in eum tam procaciter diceres. Quid autẽ ſimile eſt in grammatico tuo, quem uis attributa nominis & verbi in nominũ generibus multis eadẽ inculcare? Aliud eſt enim docere verba ſingula eorúmq; attributa, aliud argumentorũ locos exponere. Illa enim facilia ſunt: hi adeo difficiles, ut qui eos legendis libris notare poſſint, perpauci reperiantur. Extrema oratione quæris, Quid ſyllogiſmorũ confuſio in inuentione? quid ipſum problema, propoſitio Dialectica, propoſitũ? cur hac ſuperſtitione implicentur? Nec quæ ſit illa ſuperſtitio, commemoras. Tibine videtur cõfundere omnia, qui rerũ genera diſtinguit? Ratiocinationũ multa genera ſunt, quorũ cũ de omnibus his libris non eſſet diſputaturus Ariſtoteles, nõne eum oportuit, quod ſibi propoſuiſſet dicere? Cũ au-

tem de Dialecticorum ratiocinatione, quæ ex probabilibus progreditur & concluditur, disserere vellet, dialecticorum autem disputationes vnius quæstione, & alterius responsione constare videret: num videtur inscienter quid esset quæstio dialectica, quid propositum siue consultatio, quid propositio dialectica, exponere? Hoc si prætermisisset, id est necessarium officium, ei te, credo, placatiorẽ mitioremque præberes. Superstitionẽ vocas, subtilem & accuratã in re definienda expositionẽ. An est quicquã difficilius, quàm vere quid quicquid sit explicare definiẽdo? Quæris etiã cur nõ omnia dialectica vocãtur. Quæstionẽ dialecticã uocat Aristoteles, nõ q, solius sit dialectici, sed quòd digna sit quæ ponatur ad disputandũ. Distinguit autẽ philosophũ à dialectico: quòd philosophus ad ueritatẽ, dialecticus ad uerisimilitudinẽ omnẽ orationẽ dirigit. Rides etiãinstrumenta quatuor, id est cõmoditates & facultates, quibus instructi paratiores veniemus ad disputandum: quæriſque, quænam ratio est in quatuor his instrumentis. Quatuor autẽ illa sunt in eligendis propositionibus, in distinguendo quid quicq; sit, in differentiarũ dißimilitudinũmq; inuentione, & in similitudinis scientia. Hæc autẽ quam vim habeãt ad aliquid efficiendum, quis ignorat? Propositiones quidem partes sunt argumentationis: sed tamen inueniri debent. quibus inuentis, facilis: non inuentis, difficilis erit totius argumẽti tractatio. Nam vt principium

rerum omnium inuentu difficile est, eóque inuẽto, reliqua sine negocio suppetunt: sic propositio quæ caput est argumentationis, difficilis inuentu est, ex eáq; facilis est reliquarũ partiũ inuentio. Harum inuentionem Aristoteles docet. Qui autem ambigua verba distinguere (hoc est enim secundum instrumentũ) potest, non facile ab alterius fallaci oratione capietur. Qui uerò dissimilitudines rerũ tenebit, facile poterit quid idem, quid aliud sit exponere: ita rerum vim & naturam explicare. Similitudinum porro scientia multũ valet ad inductiones ratiocinationésque tractãdas. Nõ igitur inutilis est, vt putas, harum quatuor cõmoditatum suppeditatio. Hos Aristotelis de inueniendis locis libros cum reprehendisset Ramus, sequebatur, vt recta ad librum de interpretatione delaberetur. Sed ad artem eius rhetoricam, tribus libris explicatã digredi maluit. Quod si recta via institutũ suum persequi voluisset, si minus vera eius causa, at certè non tam inuidiosa fuisset. Tum enim Aristotelem, Porphyriũ, Aristoteleósque omneis culpans & accusans, in vno genere peccasset. Nunc cũ Ciceroni & Quintiliano in tradenda dicẽdi arte inscitiam obijciat, cui dubiũ esse potest, quin si minus verbo, at re ipsa hoc dicat, Omneis qui adhuc aliquid de quaq; arte scripserint, vehementer errasse, lapsos, deceptos, falsos fuisse: itaque eorũ scripta contemnenda esse. Vnũ se esse qui verum viderit, cuius animo natura verã rerũ atque artium cognitionẽ impresserit, aut potius ingenerauerit: vnũ

RHETORICA

se dignum esse, cui omnes de rebus scientijsque omnibus disserenti assentiantur. Cum enim non solũ Aristotelem de vlla re aut arte, sed Ciceronem etiã atque Quintilianum de arte rhetorica verè & accõmodatè ad veritatem disputasse neget, quem tandem præteribit? aut quẽ probabit? An nõ verè hoc dixi fore, vt quemadmodum iam nouam dialecticã, & ab omnibus dissidentem scripsit: sic nouã artẽ rhetoricã scribat? Quæ quousque tãdem patiemini, omnes qui ubique Ciceronẽ eloquẽtiæ parentẽ probastis & probatis? Eúmne ac innumerabiles homines, qui illum secuti sunt errasse mauultis, an hunc vnũ nescio quẽ uerũ perspexisse atque cognosse? Ciceronis atq; Quintiliani multis libris expressam doctrinã & eloquentiam, quámque tot secula cõprobarunt, vnius libro nõ obscurari, sed funditus deleri hominũ obliuione æquis animis feretis? Nõ omni ratione, equis et uelis in hostẽ artiũ omniũ, eorũq; hominũ qui summa laude valẽt, placet contẽdere? Sed ut aliorũ iniurias obliuiscamini, uos ne ignorationis potius, quàm istũ condẽnabitis? & dum modò hunc feratis, ei assentiamini, fidemq; habeatis, vos ne rursus ad prima grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ, reliquarumq; artiũ omniũ initia & elementa ablegari detrudíque patiemini? Non hoc, dicet aliquis, Ramus agit, aut molitur. Quis vestrũ nõ Aristoteli studuit, non in Quintiliano, & Cicerone aliquid operæ posuit? Horũ autem sublatis artibus, an

nõ ꝟeſtras tolli neceſſe eſt? Iam Ariſtotelis artes ſuſtulit.nunc hoc agit, ꝟt Ciceronis atq; Quintiliani nullam dicendi artẽ fuiſſe demonſtret. In eam enim confuſionem artis rhetoricæ, quam Ariſtoteles tenuit, Ciceronem & Quintilianũ lapſos eſſe dicit. Quæ autem illa fuerit confuſio, ꝟideamus. Ad hanc, inquit, tãtam confuſionẽ acceſsit & alia: ſed ab eodem auctore cõfuſio. Triplex inuẽtio ab Ariſtotele in Rhetoricis deſcripta eſt. prima in generibus cauſarum, minutiſsimis cõciſa præceptiunculis: altera communis ex ꝟniuerſis generibus argumentorũ: tertia media inter ꝟtranque in partibus orationis: quam in confuſionẽ Cicero Fabiũſque auctoritatẽ Ariſtotelis ſecuti, lapſi ſunt. ſed impoſtori culpa ſua præſtanda eſt, nõ ijs quibus impoſuit. Ciceronem & Quintilianum fefellit, ut ait, Ariſtoteles. ipſe quòd ſcilicet plus quàm illi, uiderit, ab illius impoſtura & falſis opinionibus infectus nõ eſt. Quin tu impoſtor es, Rame, omnéſq; falſis opinionibus inficis. Hoc enim cum ex ijs quæ adhuc dixi perſpici potuit: tũ ex ijs quæ deinceps dicã, erit multo euidentius. Ordinem tu quẽ in tribus de arte rhetorica libris Ariſtoteles ſeruauit, reprehendis: eumque non ordinem, ſed confuſionem ꝟocas. Quid? ſi ordinem quem ſeruat tibi incognitũ eſſe doceã, & teipſum à te diſſidere: quo te nomine rectè appellabimus? Vnum tu genus tradendarum artium probas, idque eius rei aut artis quã tradere uelimus definitione, eiuſque in par-

tes diuisione continetur. An non id Aristoteles his in libris tenuit, qui primũ artem rhetoricam definit: deinde eius tria genera tradit, quæ primo libro persequitur? Rhetoricam ab eo definiri negare non potes. Genera eius tria ex eorũ qui audiunt, temporum, & finium, qui unicuique generi propositi sunt, tribus generibus spectat. In his tribus generibus omnia ad finem cuiusque accommodari docet oportere. Vt quoniã deliberãtibus, utilitatẽ: laudantibus, honestatẽ, uel turpitudinem: litigãtibus æquitatem propositam esse vidit, primũ vtilitatis, deinde honestatis, postremò æquitatis siue iuris & iniuriæ locos proprios proponit. Quoniam autem artem rhetoricã in fide facienda posuit, fidemque fieri tribus modis cognouit, primo si is qui dicat, ijs sit moribus præditus, qui eum dignũ cui credatur efficiãt: altero, si auditores aliquo animi motu affecti sint: tertio, si quid oratione concludatur: primum genus primo libro qua parte honesti locos tradit, exponit: alterũ & tertium secundo libro. Tertio autẽ libro de elocutione & collocatione differit. Quæ cum ita sint, vides quo in errore versere. Dicis eum cœpisse à pedibus, & in uentre desisse, caput autẽ in medio collocasse. In quo primũ ex te quæro, putesne in pedibus numeranda genera eius artis, quã tractes? præsertim cum hanc unam tradendarũ artium rationem ponas, ut primũ artẽ definiamus, deinde eam tribuamus in partes? Deinde illud, num partes orationis

ad medium rhetoricæ artis corpus, non potius ad pedes pertinere? Nam cum duplex sit pars rhetoricæ, inuẽtio, & iudicium, & iudicij pars sit collocatio & dispositio, nonne extremus locus dispositioni relinquitur? Inuenienda enim sunt primum quæ dicas, deinde ea quæ inueneris, quẽadmodum collocanda sint iudicandũ est. In inuentione autem argumenta omnia tractanda sunt, quæ longam orationẽ desyderant. Collocationẽ autem, quæ iudicij pars est, uel nulla uel pauca certè sequũtur. Sequuntur enim hanc memoria & pronunciatio, quæ paucis præceptis continentur. Tu cum duas solum partes sequare inuentionis & iudicij, quo tandẽ modo orationis partibus quæ sunt iudicij, medium locũ dare potes? Vt enim orationis partes inueniendæ sint, quẽadmodum cætera omnia, certè earum collocationẽ & ordinẽ, iudicio attribuas necesse est, si modo iudicio aliquẽ locum uis relinquere. Iudicandum est enim cum eas inueneris, sitne earũ omnium usus in omni genere causarũ. si non in omnibus, in quibus sit: atque in his quando & unde potissimum ordiendum, sintne conciliandi animi eorum qui audiunt, an attentio & docilitas cõparanda, an hæc omnia. Quod eodem modo de narratione, cõfirmatione, cæterisque partibus iudicandũ est. Quod cũ intelligeret Aristoteles, hunc sibi laborem necessarium esse uidit, ut singulas partes ad singula causarum genera accommodaret. Itaque extremo tertio libro de collocatione partium orationis disserens, docet quibus in causis opus est

aut non est exordio, quibus itē in causis narrādum sit, qualis debeat esse narratio, quibus probationibus utendum sit in singulis causarū generibus, sitne utendū ratiocinatione in mouēdis affectibus, aut cōciliandis animis. Hæc, inquā, omnia, multáq; alia quæ sciēs prætereo, sibi necessario docēda idoneo loco esse iudicauit. Nō potuit autē hæc tradere quæ ad confirmationē pertinēt, tum cum locos proponeret, quòd cōmunes tum omnium causarum traderet, ut locos ex cōtrarijs, ex definitione, ex repugnantibus, ex causis, ex effectis alioſq; eiusdem generis, qui fusi sunt per omne causarum genus. proprios autem singulorum generum locos explicans primo libro, quoniam ad finem uniuscuiusque generis accōmodabat, utilitatis, honesti, iuris & contrariorum locos tā tum expoſuit. Ita ea quæ tertio libro propoſuit, commodo idoneóque loco explicauit. Vehementer igitur errat Ramus, qui putet nihil esse in primis & postremis locis, quod à communibus nō sumatur. Neque enim ex locis cōmunibus, qui à definitione, à contrarijs, à repugnantibus, à causis, ab effectis, & si qui sunt eiusmodi ducūtur, intelligi potest, sitne & quēadmodū cōmouendi & impellendi animi. Aliud est enim argumentis aliquid probare, aliud in quācunque uelis perturbationem auditores impellere, cum interim utrunque ad fidem faciendam pertineat. Quod de locis proprijs singularum orationis partium iudicandum est eodem modo. Neque enim ut omneis communeis locos de quibus

loquitur, teneas, etiam exordij, narrationis, cõfirmationis, perorationis proprios locos, ut Ramus uult, tenebis. Comprehensis enim animo his locis communibus, an ab ijs paratior uenies ad iudicandum, sitne utendum exordio? si sit, sintne conciliandi, an docendi, an parandi ad attente audiendum ij qui adsunt? Itẽ sitne opus narratione? si sit, breuine an longa? Eadem est ratio confirmationis. Aliam enim deliberationes, aliam iudicia, aliam exornationes desyderant. Exempla plus ualent in deliberationibus, plus ratiocinationes in iudicijs, in exornationibus amplificationes. Huc accedit, quòd cum tria oratori ad fidem faciendam proposita sint, animorum conciliatio, eorundem perturbatio, & quæ ratione tractatur argumentatio: hoc tertium tantummodo loci illi cõmunes nos docere possunt. Qui igitur hæc tria separatim tractat, ut Aristoteles, quem his de causis summis laudibus afficit Quint. uanus, is ne artẽ confundere uidetur? an Ramus, qui ab una parte reliquas duas ab illa diuersissimas uult peti? An non Cicero eodem modo hæc ipsa tractauit? Nam in Partitionibus cum locos & insitos & assumptos exposuisset, quosdam præterea locos singularum partium orationis, idq; in singulis causarum generibus explicat. C. F. Quid? in deliberatione quid spectas? C. P. Principia uel non longa, uel sæpe nulla. Sunt enim ad audiendum qui deliberant sua causa parati. Nec multum sanè sæpe narrandum est. Est enim narratio præteritarum rerum aut

præsentium, suasio autem futurarum. Quare ad fidem & motum adhibenda est omnis oratio. Reliquorum etiam duorum generum collocationem exponit eodem libro. Quintilianus eodem modo præcepta tradit singularum partium in quarto libro, & locos communes argumentorum alijs libris. Sed erro, qui horum interponã auctoritatem. Eos enim iste cum auctoritatem Arist. sequerentur, errasse dicit. Patere nos Rame, cum his errare doctissimis uiris: tu nouam rhetoricam meditare atque compone, in qua tu solus acquiescas. Neque enim quenquam tam amentem arbitror, qui cum à te & carpi tam graueis homines intelliget, & rhetoricam ab omniũ inuentis abhorrentẽ scribi, dignam eam in qua aliquid operæ ac studij discẽdi causa uelit ponere. Sed ad rẽ reuertamur. Quod à te obiectum est Aristoteli, cõtra illud præceptum suum facere, Semper ab uniuersalibus esse ordiendum: in eo uehementer erras. Duo enim genera tradendarum artium, quæ alij in tria, ut docui, partiti sunt, & in præceptis reliquit, & ipse secutus est. Initium enim docendi aliquid, omnes à rebus perspicuis & notis ducendum esse intelligunt. neque enim qui à rebus difficilibus & minus notis progrediatur, aliquid potest tradere. Hoc ille cum multis alijs locis, tũ in libro primo de moribus ad Nicomachum filium docet his uerbis, Initium enim ducendum est ab ijs rebus quæ notæ sunt: quarum duo genera sunt. aliæ enim cognitæ sunt nobis, omnino & per se aliæ. Ac nobis qui-

dem certè ab ijs capiendum est exordium, quæ sunt nobis cognitæ. Itaq; cum uirtutes sint nobis notiores, ignotior felicitas: ijs in libris à uirtutibus ducit exordium. Fere enim eā rationē docendi sequitur, quam alij σύνθεσιν, id est, constructionem & compositionē uocant. Vt in libris de Rep. à minutissimis partibus orditur, exijsque progrediendo totum quasi componit. Familiam enim primam hominū societatem, & primam Reipub. partē sibi proponit, eiusque partes ut uirum & uxorē, patrem & liberos, dominum & seruū: deinde uiciniam consyderat: postremò Remp. Non igitur semper ab uniuersalibus, ut uis, ordiēdum cēsuit. Hinc ad Cyneæ & Pyrrhi sermonem delaberis. Soles enim tibi fingere quæ tibi commodum est, eáque in Aristoteleos inuidiæ causa retorquere. Id quod cuique facere licet. Quid enim negocij est te illi comparare, qui superioribus annis, Lutetiæ in magno hominum conuentu omnium artium cognitionem & scientiā omnibus paucorum mensiū spatio, si se audirent, pollicebatur? Quid autem præstitit? Idem quod tu, qui Dialecticam quatuordecim uocabulis comprehensam animis omnium duobus mēsibus, uel dimidiato mense potius, te impressurum profiteris. Vt igitur ille cum præstare non posset, quæ profitebatur, ita clàm erupit & euasit, ut quò abierit, nemo ex eo tempore audiuerit: Sic hæc tua somnia, ne quid grauius dicam, celerius quàm orta sunt, dissipabuntur. Sed ad alia pergamus. Ab inuentione Rami ad iudi-

cium delapsa est oratio, si modo liber de interpretatione ad iudicium, non potius ad inuentionem eius etiam confessione pertineat. Nam cũ inuentioni Topica attribuat, in quibus de argumentis inueniendis disputatur: quanto magis hic liber, in quo de enunciationibus disseritur, ad eandem partem referendus est? Sed hoc illi tanquam minus omnia circunspicienti demus. Ridet Aristotelẽ quòd in libris ijs ommibus qui sunt iudicij, nunquã iudicium definierit, aut in partes diuiserit: facitque eum stertentem, dormientem, loquentem per somnum. quo quid potest esse amentius? An non eadem aut etiã grauiora illi tribuere possum? Sed nõ faciam. Sunt enim hæ uoces impudentiæ, obtrectationisq; indices. His igitur prætermissis, indignis homine uocibus, de re disputemus. Ramus omnes qui de re aliqua disputant, nisi eam definiendo explicent, indoctos esse existimat. An non Grammatici cum de collocatione & structura uerborũ disserunt, de iudicio etiam loquuntur? Quis autem eorũ quid esset iudicium unquam exposuit? quis rhetor? Omneis scilicet errasse dicet. Scio. nihil enim ei facilius est, quam cæteros præ se contemnere, neque homines aut doctos ducere. Quoniámq; in suo illo uno genere tradẽdarum artium commoratur, aut consenescit potius. fuste inde nobis erit abigendus. In ea enim sententia permanet, ut primum definiamus id de quo disputemus, deinde tribuamus in partes. Atqui non hoc necesse est, suntque alia duo genera, ut docui, tradendarum disci-

A Interpretatione.

plinarum. Sed quid in hoc libro reprehẽdat, uideamus. Nomina, & uerba definit Aristoteles: de re proposita siue subiecta, & attributis, quæ prædicata dicuntur, aliquid loquitur: quid commune, proprium, uniuersum, singulare sit in enunciationibus disputat. Hæc omnia à grammaticis sumpta esse obijcit. Nouum crimẽ & antè hoc tempus inauditum, quod iam dilui. Isto enim pacto oratori & rhetori eadem obijcias licet, qui hæc tractant omnia. Sed proprijs argumentis id refellendum est. Quid Dialecticæ propositum est? Veritas aut uerisimilitudo. Veritas autem quomodo perspici potest, nisi in enunciatione? Enunciatio porrò quo tandem pacto uera esse potest, nisi ita res habeat, ut uerba declarant? Verba autem sunt nomen, & quod propriè uerbum dicitur, adiunctis cæteris orationis partibus. Quid igitur mirum est, si nomina & uerba Dialectici consyderent? cum eis quam uerba coniuncta significant, proposita sit tanquam finis ueritas? Ea autem sintne grammaticorũ propria, an eis cum cæterarũ artium hominibus communia, quid ad id quod agitur interest? Id enim ab isto agitur, ut hoc sit propriè in dialecticos criminosum. Quod certè non est. Vtuntur enim cum omnes nominibus & uerbis, tum ij maxime & propriè quorum artes in sermone & disputatione cernuntur: cuiusmodi sunt grãmatica, rhetorica, Dialectica. Quapropter qui Dialecticos furti accusat, is etiam rhetores & oratores accuset necesse est. Sed eius accusatio iniqua & inanis ita fa-

cillime tota uidebitur, si ordinem quem seruet in hoc libro Aristoteles, explicauero. Finem sibi hoc libro proponit animi indicium & interpretationem, quæ est in oratione. Est enim animi interpres, oratio. Animi autem sensa perfecta oratione, quam uocat enunciationem, exprimuntur. Enunciatio igitur finis est huius disputationis. Viam autem & rationem docendi eam adhibet quam συνθεσιν, id est, constructionem siue compositionē appellari dixi. Primum enim minutas enūciatio nis partes, quæ ad Dialecticum pertinet, nomen & uerbum explicat: deinde maiorem partem eius, orationē: postremo quid sit enunciatio exponit, quot eius partes, quæque ad eas pertinent. Quæ cum ita sint, quā hic perturbationem & confusionem, non potius aptum cursum ordinemque rerum esse dicemus? An non necesse fuit, eum qui eum ordinem seruare uellet, quid nomen, quid uerbum, quid oratio esset docere: ut tandem quid siue enunciatio, siue pronunciatio, siue pronunciatum, siue proloquium, siue effatum esset, exponeret? Nec si ea tractant grāmatici idcirco Dialectici respuere debent? Grammatici enim hæc ad structuram uerborum: Dialectici ad rerum ueritatem aut probabilitatem dirigūt. Præterea nomen & uerbum angustius apud Dialecticos, latius apud grammaticos funduntur & patent. Puerilis est igitur illa istius conclusio, Reddantur igitur grammatica grāmaticis: quæ tacite ex his efficitur, Suū cuique reddendū est. Nomina autē, & uerba, sup-

posita & apposita, uniuersa & partes &c. grammaticorum sunt. Isto enim pacto artem rhetoricam tolles. Locos enim eosdem tractat quos Dialectica. Perorata hac tam pueriliter grammaticorum causa, ad sophismata, ut ait, omnem cõuertit orationem. Ac in ijs hoc primum reprehendit, quòd cum de sensis animorum nostrorum exprimendis principio disputaret, quædam ex libris de animo protulit, quæ ad hunc locum pertinerẽt. Quàm grauis est ista reprehẽsio? Nunquã licebit istius sententia quod alio loco & libro dixerimus, ne si ita res ferat quidem, repetere. Sequitur altera eius non minus leuis aut ridicula reprehensio. Cum definiret Aristoteles quid nomen esset, quid uerbum, statim quid obijci posset de his, non homo, & est non albus, intellexit. Itaque tacitam hanc obiectionem occupatione aut expositione diluit. Illud enim nomen, hoc esse uerbum negauit, quòd tam in ijs quæ sunt, quàm in ijs quæ nulla sunt dicerentur. Sed ne nomine careret, prius nomen infinitũ, posterius uerbum infinitum uocauit. Hæc tantũ de ijs dixit, in quibus quis tortuosa somnia, quæ iste dicit inesse, perspicit? Hoc tamẽ loco qui solã ueritatẽ se ducẽ sequi profitetur, nullius auctoritatẽ, aliorũ interponit auctoritatẽ. Nullus, inquit, poeta, nullus orator, nullus philosophus his utitur. Cur hic auctoritatẽ profert? Non satis erat hoc docere à ueritate repudiari? Satis erat, sed instituti sui erat immemor. Si hic auctoritatẽ aliorũ ualere uult, cur continuo in alijs non ua-

lebit? Si satis hoc firmum est argumentum illius sententia, Nullus orator, nullus poeta, nullus philosophus usus est nominibus & uerbis quæ infinita uocantur: ea igitur somnia sunt: quid est quamobrem non etiam hoc sit firmissimum? Omnes philosophi & docti homines Aristotelis philosophiam probauerunt, est igitur tenẽda & approbanda. Quanquam hoc tibi non concedo, nullum philosophum nominibus infinitis usum esse. Omnes enim Peripatetici utuntur. Quinetiam oratores interdum hæc usurpant, id est, nõ, negationem infinitè, ut diunt, captam. Cicero enim in primo de officijs libro scribit his uerbis. Ergo & à forma uirili remoueatur uiro nõ dignus omnis ornatus, & huic simile uitium in gestu motúque caueatur. Paulò supra, Verentur autem, ne si quo casu euenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decorè. Eadem pagina, Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe est, sed dicitur non obscœnè. Nõ igitur uera est ista tua reprehensio, in qua mentiri turpe non duxisti, nisi fortè ignoratione uis tegere mẽdaciũ. Enunciationes etiam quæ ad res singulas & futuras accõmodantur, (eas de futuro cõtingenti uocant (sibi in Arist. reprehẽdẽdas ob eã causam putauit, quòd fœcundum pabulum, & pergratũ sophistis ociosis attulit. Quæ ista reprehensio est? exterminandus est is qui primus fabricauit ensem. homines enim ad cædẽ faciendam impulit. Inuentores Eloquentiæ interficiendi sunt. ministrarunt enim instrumentum quo multi abusi

sunt ad multorum perniciem & interitum. Quinetiam naturæ bellum indicendum est. Ea enim rationem hominibus dedit, sine qua maleficium nullum aut suscipitur, aut perficitur. An non Rami hoc oratione concluditur? qui ob eam causam Aristotelis disciplinam improbat, quòd Sophistis materiam fallacium argumentorum cõcertationúmq; præbuit? Sic profectò sacrorum librorum scriptores accusandi erunt, quippe qui hæreticis istius ratione materiam falsarum opinionum præbuerint. Quòd si hæreticos accusandos censet, qui re per se bona & frugifera sint abusi, sophistas etiam reprehendat, non Aristotelem. Nam hoc loco duo præcepta pronunciationum eius generis quæ Aristoteles tradidit, laudat, ex quo efficitur, Aristotelem ornandum esse laudibus. Quanquam in hoc loco moderatiorem & æquiorẽ se aduersus Aristotelẽ, quàm in alijs, gesit: quòd uereretur, ne si hunc locum qui ad Theologos pertineret, petulantius reprehenderet, non solum Dialecticorum, sed Theologorum etiam inuidiam sustinere non posset. Itaque in proxima quæstione, qua enũciationes ex, non, infinita negatione constantes tractantur, omnes modestiæ terminos petulantia & linguæ procacitate transilijt. Enumerat enunciationes omnes, ut sibi uidetur, quæ repugnare possunt. Inuenit cẽtum quadraginta quatuor. Multo maiorẽ multitudinẽ esse quis negat? Prætermisit enim eas omneis, scilicet imprudens (neque enim sciens id omisisset, quod rem magis inui-

dioſam faceret)prætermiſit inquam eas omneis,quæ definitæ & particulares uocantur:cuiuſmodi hæ ſunt,Eſt quidam homo iuſtus,Nō eſt quidam homo iuſtus.Quidam non homo eſt iuſtus, Quidam non homo non eſt iuſtus.Quidam homo eſt non iuſtus,Quidam homo non eſt non iuſtus.Quidam non homo eſt non iuſtus, Quidā non homo non eſt non iuſtus. Sed quid ſi docuero eum in magno errore uerſari? His enim octo hoc ordine deſcriptis,

Homo ambulat,homo non ambulat,
Non homo ambulat,non homo non ambulat.
Omnis homo ambulat, nullus homo ambulat.
Omnis non homo ambulat, nullus non homo ambulat,

His inquam octo ita deſcriptis, in quarum ſolum quatuor ſubiecta ſunt,non, negatione infinita notata, putat ſi negatio eadem prædicatis adiungatur,totidem,id eſt, octo futuras,ſi ad utrunque ad ſubiectum & attributū addatur,alias octo.Quod falſum eſt. Nā ſi illis quatuor,Homo ambulat,homo non ambulat:Omnis homo ambulat,omnis homo non ambulat,ea,quā uocant, infinita negatio, uel ad ſubiectum,uel ad attributum addatur, eædem erunt quæ reliquæ quatuor.Ita quas putat octo effici,quatuor ſolum explere reperiūtur. Quod item fiet,ſi ad utrunque,ſubiectum & prædicatū uerbum infinita adhibeatur negatio. Tantum enim quatuor diuerſæ erunt eæ in quibus adhibita iam fuit illa negatio:eædem autem reliquæ manebunt. Quod ex ſub-

iecta descriptione intelligi potest.

Homo est iustus, homo non est iustus.

Non homo est iustus, Non homo non est iustus.

Homo est non iustus, homo non est non iustus

Non homo est non iustus. Nō homo nō est non iustus.

Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus

Omnis nō homo est iustus, Nullus nō homo est iustus

Omnis hō est nō iustus, Nullus homo est non iustus

Omnis nō hō est nō iustus, Nullus nō hō est nō iustus.

Vbi est, Rame, tua illa numerorum ratio, qua te ualere existimas? Videsne sedecim tantum enunciationes relinqui, quas quatuor & uiginti relinqui asserebas? Ex hoc errore tuo, ille alius in quem lapsus es summā conficies rationem, natus est. Nam si, est uerbum, tertium in oratione ponatur, solum sedecim fient, ut ex superiore descriptione perspici licet. Si pro indefinitis singulæ enunciationes describantur, non fient nisi quatuor & uiginti, cum uelis octo & quadraginta effici, ut numerus duplicetur. Indefinitas autem quas uoces, non intelligo, nisi quæ ita uulgo uocātur. Cuiusmodi sunt hæ, Homo ambulat, homo non ambulat. Quod si ita est, uerum esse quod dixi subiecta indicabit descriptio,

Socrates iustus est, Socrates iustus non est.

Non Socrates iustus est, Non Socrates non est iustus.

Socrates est non iustus, Socrates non est non iustus.

Nō socrates est nō iust°, Nō Socrates nō est nō iustus.

Socrates ualet, Socrates non ualet.

Non Socrates ualet, Non Socrates non ualet.
Socrates est non sanus, Socrates non est non sanus.
Nō Socrates est nō sanus, Nō Socrates nō est nō sanus
Omnis nō Socrates iustus est, Nullus nō Socrates iustus est. Omnis non Socrates est non iustus, Nullus non Socrates est non iustus. Omnis non Socrates ualet, Nullus non Socrates est ualens. Omnis non Socrates est non ualens, Nullus non Socrates est non ualens. In rebus inquam singulis quatuor & uiginti hæ solum inueniri possunt enunciationes, nisi forte res singulas etiam ponas in attributo. Vt in his, Socrates est non Plato, Socrates non est non Plato. Omnis non Socrates est non Plato, Omnis non Socrates non est non Plato. Sed quatuor hæ solæ ex his nascuntur, præsertim cum singulare attributum in enunciationibus è uerbis adiectiuis nullum possit existere, neque hæ usitatæ sint in artibus,
Socrates est Plato, Socrates non est Plato.
Non Socrates est Plato, Non Socrates non est Plato.
Nō Socrates est nō Plato, Nō Socrates nō est nō Plato.
Omnis non Socrates est non Plato, Omnis non Socrates non est non Plato.
Sed ut dē tibi esse usitatas Aristoteleis, certè octo & quadraginta nō explebunt, id quod uis, sed solum quatuor & triginta uniuersæ. Inscitè tamen hoc ut fiat in singulis postulas. Neque enim id quod uis, singulæ enūciationes sunt eæ quarum subiectis additur infinitio, sed

patent latissimè. In quo tuam in Dialecticis inscitiam indicas & prodis. Vis etiam enunciationes quæ constãt ex attributo priuante, cuiusmodi est hæc, Homo est iniustus, eundẽ numerũ explere: in quo te grauiter peccare subiecta descriptio docebit, Homo est iniustus, hõ nõ ẽ iniustus. Non homo est iniustus, Non homo non est iniustus. Hõ est nõ iniustus, hõ nõ est nõ iniustus. Non homo est non iniustus, Nõ homo nõ est nõ iniustus. Omnis homo est iniustus, Omnis homo non est uel nullus homo est iniustus. Omnis non homo est iniustus, Omnis non homo non est, uel nullus non homo est iniustus. Omnis homo est non iniustus, Omnis homo non est, uel nullus homo est non iniustus. Omnis non homo est non iniustus, Omnis non homo non est, uel nullus non homo est non iniustus. Vides solum sedecim effici, quas ad octo & quadraginta numerum uis peruenire. Quanquã plures tibi do quàm petas, priuantes enim pro indefinitis tantum uis admisceri, ut ais facere interpretes. Ita si indefinitas uocas eas in quibus infinita negatione attributum notatur, octo tibi erunt detrahendæ. Quòd si indefinitas uocas eas quarũ subiecto nota nulla (signum autẽ uocant) adiecta sit, cuiusmodi est hæc, Homo est iniustus: totidẽ solùm fient. Neque enim hæc, Omnis hõ est iniustus, indefinita est. Summam nunc fac omnium enunciationum tuarum, plures sex & sexaginta non reperies relinqui. Ita dimidiã partem atque eo amplius affinxisse inuenieris. Quid hoc

turpius? quid flagitiosius in accusatore? atque in accusatore eiusmodi, qui ueritatem non obscuratam aut demersam in profundo, sed sublatã funditus à cæteris queratur? Quid deformius & indignius reperiri potest, quàm eum qui ueritatis patrocinium se suscepisse profiteatur, à mendacio stare tam turpiter contra ueritatem? Sed ut hanc tantam quantam uis, pronunciatorum multitudinem tradi ab Aristotele concedamus, id ne quæso criminosum in eum debet uideri? Si enim omnia quæ dici possunt aut disputari, etsi rarò aut nunquam in disputationem cadant, ea tradat aliquis, quò absolutiorem artem reddat, & nihil requirentem: an non ei gratia habenda est potius, quàm cum eo inimicitiæ gerendæ? Atqui hæc sæpe cadunt in disputationẽ. Quis enim non ita sæpe loquitur? Hic liber est non ingratus. Hæc uita est non insuauis. Et ut Cicero, Cauendus est uiro non dignus omnis ornatus. In quibus solet quæri, idémne hæc ualeant, Hic cultus est non dignus uiro, &, Hic cultus est indignus uiro. Quæ cum constat idem declarare, tũ longius progredimur uel interrogando uel concludendo hæc, Hic cultus igitur non est dignus uiro. Hæc enim eò tractat Aristoteles, ut quæ quam enunciationẽ sequatur, quæ cui repugnet, intelligatur. Neq; enim ille solus fructus ex his percipitur, quẽ tu exponis, sed multo & uberior & maior. Quæ enim sint enunciationes aientes & negantes docet, quæ aduersæ, quæ quasi aduersæ & cõtrariæ: quæ sint antecedẽtes, quæ cõsequẽ-

tes, quæ repugnantes, quæ consentaneæ. Hæc autem omnia quid habent uituperationis & detrimenti? quid non potius laudis & fructus? OEdipum tibi aliquem fingis qui his malis subueniat, qui hæc inexplicabilia dissoluat. Næ tu bellus homo es, qui nihil obscuritatis uelis esse in artibus. Vide ne alij in scirpo nodum, tu in nodo scirpum quæras, id est, ne dum artes omnes quæ sunt difficiles (aliter enim nunquam tot homines tam præstantibus ingenijs præditi in quærenda ueritate ab ea tam longè aberrassent) faciles esse dicis, neglectis locis difficilibus, eos solum teneas qui sunt in promptu. Sed de his hactenus. Nunc antè quàm à contrarijs & repugnantibus ijs quæ simplices appellantur, discedã, libet considerare id in quo pugnantia Aristotelem dicis tradere. Ais enim ab eo contradictioni falsas species attribui, propterea quòd cum definit contradictionẽ, unius eiusdémque rei affirmationem: singularem quãdam contradictionem excogitauerit. ut, Quidam homo ambulat, quidam homo non ambulat. In hac tu definitione pugnantia loqui Aristotelem concludis hoc modo, O callidum & uafrum sophistam. Potestne res eadem numero uerè simul affirmari negarique? Tũ ubi feceris eum tibi respondentem, Non, inquies: hoc assumis reprehendendo, At in proposito exemplo res eadem numero affirmatur negatúrque, secus contradictionis definitio non conueniet. Postremo hæc loqueris, Quid hic cõcludã? utrum, te mendacẽ & uanũ, qui rẽ inenodabilẽ

defendis, & contradictionem esse, & utrinque ueram? Atque hæc tua est firmissima ratiocinatio. Ego autem si, ut pro Aristotele tibi respondeam, hoc unum dixero, quod multi, Aristotelem eas omneis enunciationes, quæ aliquo repugnantiæ genere inter se opponũtur (eas autẽ uocant oppositas) hoc loco quẽ reprehẽdis, definiendo explicare: quam leuis & infirma hæc tua quam tam firmam putas, reprehẽsio ꝟidebitur? Tum enim enunciationes illæ duæ quas profers, non contradicentes erunt: sed in numero earum quæ subcontrariæ ꝟocãtur, quæ eædem simul ꝟeræ esse possunt. Ita non sententiam Aristotelis oppugnas. Sin id dicam, quod alij, ab Aristotele tria genera tradi contradicentium, ꝟnum earum quæ rerum uniuersarũ sunt, quarũ altera ꝟniuerse & in totum dicitur: alterũ singularum: tertium earum quæ in rebus ꝟniuersis, sed non omnino dicuntur, atque in postremo genere tuas esse, quas Arist. simul ꝟeras esse posse cõcedit, nihil cõtra Aristotelẽ tua ꝟalebit cõclusio. Dicis enim duas ab eo contradicẽtes simul ꝟeras esse posse cõcedi. Cũ hoc dicit, eas dicit quæ sũt tertij generis. Græca eius uerba quæ hoc exprimũt, proferã, ὅσαι μὲν οὖν ἀποφάσεις τῶ καθόλε εἰσὶ καθόλε, αἱ ἀναγκαῖον τὼ ἑτέραν ἀληθῆ εἶναι ἢ ψευδῆ, ἐξ ὅσων ἐστὶ τῶν, καθ' ἕκαστα. οἷον, ὅτι σωκράτης λευκός ἐστι σωκράτης λευκὸς οὐκ ἔστι σωκράτης λευκός. ὅσαι δὲ ἐπὶ τῶ καθόλε μὴ καθόλε δὲ, οὐκ ἀεὶ ἡ μὲν ἀληθὴς, ἡ δὲ ψευδής. ἅμα γὰρ ἀληθὲς ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι ἔστιν ἄνθρω-

πως λευκός, ἢ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος λευκός, *id est, Atque earum quidem cõtradicentium, quæ de rebus vniuersis quid omnino & totũ dicũt, necesse est alteram esse uerã vel falsam. itemque earũ quæ in rebus singulis versantur, quales sunt hæ, Albus est Socrates, Nõ est albus Socrates. Quæ autẽ de vniuersis rebus dicũt, sed nõ omnino, earũ nõ una semper vera est, falsa altera. Hæ enim simul veræ dicũtur, Est homo albus, Nõ est homo albus. Qui diligenter hæc verba,* ὅλως μὲν οὐκ ἀντιφάσεις, *et* ὅτι δὲ, *spectabit, is in hac posteriore enunciatione,* ὅλως οὐ, *verbũ* ἀντιφάσεις *intelligendum esse perspiciet. Quæ cum ita sint, quid de contradicentibus loqueris, duas veras simul ab Aristotele concedi? Non negamus eas quæ sunt tertij generis, nec inde aliquid incommodi suscipimus. Susciperemus autẽ si ita tibi Aristoteles respõderet, vt facis eum respondentem. Cum enim eum rogas his verbis, potẽsne res eadẽ numero verè simul affirmari, negariq́ue? eũ, ut iam dixi, fingis negare. At tibi hoc nunquam abnuet. In ijs enim enunciationibus quæ subcontrariæ uocantur, quòd in quadrato ad perpendiculum infra cõtrarias descriptæ sint, vna eademq́ue res verè & affirmatur & negatur. Vt homo iustus est, homo iustus non est. Cum enim vna eademq́ue res dicitur in contrarijs, id ad synonyma refertur. Ita contradicentes solũ tertij generis simul veras esse habes, & res est, vt docui, facilis ad explicandum.*

De copulatis etiã & diuisis attributis aliquid tibi dicẽdum putasti, ne quid prætermittere uiderere. Hunc locum tibi inutilem dicis uideri, qui est utilis maxime. Atque ob eam causam utilẽ eum esse negas, quòd syllogismus satis superque sit omnibus æstimandis quæstionibus. Erunt igitur ista ratione inanes loci omnes, qui proponuntur ex toto, ex partibus, aliique generis eiusdem. Syllogismus enim hos suppeditabit locos. Quid? an nullus inductioni locus relinquetur? Nullus, inquies, ad syllogismum enim reuocanda est. Sed de hoc toto posterius disseremus. Nunc docendum est & necessario fuisse Aristoteli loquendum de coniunctis & diuisis attributis, & utiliter eum de his locutum. Cum de ueritate & falsitate enunciationum hoc libro disputare instituisset, iámq; quemadmodum attributa simplicia ad subiecta, propositionesq; inter se affectæ essent, docuisset, ne quid prætermitteret, de his quoque sibi dicendum esse censuit. Magna autem utilitas ex eodem hoc loco percipitur. Nam si multa alicui attribuantur separatim, num ea etiam coniunctè ei attribui, necne possint intelligemus. Ad cõfirmandum etiam ualet hic locus, & ad refellendum. Nam quoniam uerè dicitur homo esse animal, & rationis particeps, ex eo etiam concludi licebit hominem esse animantem participem compotemque rationis. Et si quis concludat, si homo sit albus & musicus, eum etiã esse album musicum, aut bonum sutorem aliquem ex eo

quòd sit bonus & sutor, eum reprehendam. Quo tandem pacto hæc, ratiocinationes docere poterunt? nisi forte uelis ad eas omnia reuocari. Quod si uelis, quæ erit ista rerum præceptorúmque confusio? Reliqua est ea, quam de modalibus uocas, quæstio. In qua nō ad conuicia tua respōdebo (ea enim qualis sis planè indicant. Qualis enim quisque est, talis ferè est eius oratio) sed rationes infirmissimas tantum modestè diluā. Primum duas hac contradicentes eius generis,

Aristoteles bellua est necessarió

Aristoteles bellua est non necessarió,

simul falsas esse dicis, si eam quæ hic ab Aristotele traditur, teneamus disciplinam. Ais enim de huius generis enūciationibus eam Aristotelis sententiam esse, ut dicat in ijs ad solum uerbum quod appellatur modi nomine, addendam esse negationem. quod falsum esse uis. Sed uehementer erras, quòd quid intersit inter enunciationes simplices atque modales quæ uocantur, ignores. Hoc autem ex ijs qui commentarijs Aristotelis opera illustrarūt, doctissimis philosophis, didicisses, nisi eos præ te idiotas iudicasses. Quod cuiusmodi sit, accipe. In simplicibus quæritur, an attributū subiectæ & propositæ rei conueniat, nécne. In his autē non id quæritur: sed siue cōueniat, siue nō conueniat, id demum spectatur, an eo modo conueniat, quo significatur conuenire. Vt in hac enunciatione, Socrates necessario ambulat, non id spectatur, num Socrati conue-

niat ambulatio, sed an necessarió. Ita fit ut in contradicentibus non uerbum ipsum sit negandum: sed id tantũ uocabulum quo modus declaratur. Enimuero, Rame, si uelis & negationem ad uerbũ etiã pertinere, multa incommoda suscipere cogêre. Primũ enim non uitabis illud ad quod Aristotelem impulsum esse dicis in exquirendis analyticis, quòd ad modum tantummodo negationẽ addi uoluerit. Doce enim has duas non esse falsas,

Socrates necessariò est bellua,

Socrates non necessariò est bellua,

si ad tuam trutinã eas ponderes. Hæ enim duæ idem ualent,

Socrates non necessariò est bellua,

Socrates est bellua non necessario.

quòd utrique una eademque hæc contradicit,

Socrates est bellua necessario.

Quod si neges, certè illa erit, tua quidem ratione,

Socrates necessariò non est bellua.

Si ea quæ à me proposita est, habebo quod uolo. Si hæc posterior, quoniam uera est, altera quæ ei cõtradicit falsa sit necesse est, quod probandum susceperã. Veram autem esse hinc intelligi licet, quòd hæc, fieri non potest ut Socrates sit bellua, quæ idem quod illa efficit, uera est. Quod quoniam absurdum est, confitere & negationem ad uerbum non pertinere, & illarum duarum tuarum,

Aristotèles necessariò est bellua
Aristoteles bellua est non necessario,

posteriorem esse ver̃am, falsam priorem. quemadmodum in his concederes,

Socrates necessariò scribit
Socrates scribit non necessariò.

Nam si in tua sentẽtia permaneas, præter hoc incõmodũ, alia etiã te sequẽtur. Sic enim huius enunciationis, Socrates non necessario est bellua,
hæc sentẽtia erit, Socrates nõ est bellua nõ necessario: quæ quoniã uera est tua ratione, hæc quæ illi cõtradicit, Socrates necessariò non est bellua, falsa sit necesse est. At vera est, quoniã hæc uera est quæ idem ualet, Fieri non potest, vt Socrates sit bellua,
Ita duæ cõtradicẽtes ueræ erũt tua ratione et sentẽtia. Multa alia æquè absurda commemorare & docere possum, quæ effugere non possis. Sed hæc satis multa sunt. Nam quod obijcis quatuor modorum solum ab Aristotele fieri mentionem, cum sint alij permulti, id falsum est. Nam præter hos quatuor commemorat etiam ἀλλαχῶς, quo & ipse in tractanda quæstione de ijs quæ futura contingentia uocantur, & Cicero in libro de Fato sæpe utitur. De cæteris autẽ nullũ uerbum facit, quòd eorum non difficilis sit explicatio, et q̃ de illis magnæ essent inter philosophos dissensiones. Quam enim magna fuerit quæstio περὶ δυνατῶν & ἐνδεχομένων. i. quæ fieri possunt, & ἀναγκαίων,

id est de ijs quæ fiunt necessario, Cicero cum multis alijs locis, tum in libro de Fato exponit. Quoniã igitur infiniti sunt, ut tu te fateris, modi, qui longã orationem si de singulis differere uoluisset, desyderant, de ijs potissimum dixit, qui dubitationem afferebant, ne nimius & longior in re minimè necessaria uideretur. Nam si multam curã in ijs enumerandis & tractandis posuisset, an non magnam, Rame, ad reprehẽdendum tibi materiam præbuisset? præsertim cum in commemorandis infinitis enunciationibus conatus sis enumerare quas omiserat, ut ei ex nimia cura inuidiam cõflares. Miror autem quòd hunc locum πρὸς δωσατῶ, πρὸς ἀναγκαίων inutilem esse confirmas, cũ pleni sint libri Ciceronis ij qui ad philosophiam pertinẽt, huiusmodi quæstionum. Est enim hic locus non solum utilis, sed etiam perquam necessarius. Quo enim pacto statui potest, an necessitate & fato fiant omnia, an libero arbitrio præditi simus, an uirtutes & actiones in nobis sitæ sint, aliáque eiusdem generis, hoc incognito loco de ijs quæ fieri aut non fieri possunt? Quæ cũ ita sint, quæ te (malum) ratio impulit, ut ex hoc loco tã necessario, ampliationum, suppositionum, aliorumque eius generis inuidiam, ne dicam culpam sustinendam Aristoteli præstandamq; cẽseres? de quo tibi nunc respondérem, nisi iam sæpe hanc tuam reprehensionẽ ut infirmam, fallacẽq; refutassem. Quoniam ad ea crimina quæ in libro de interpretatione grauissima putasti, re-

a analytic is priorib7

ἀναλύειν

ſpõdi, nunc ſequitur vt ad analytica ueniamus. In his primum inſcriptionem tibi proponis ad reprehendendum. ἀναλύειν enim unde τα ἀναλυτικὰ appellata ſunt, dicis eſſe retexere & delere: nẽpe quòd (uerbis enim tuis utar) hæc ars quaſi Penelope telam retexẽs, tollat ad extremum & deſtruat omnia. nomen certè operi conuenientiſsimum. Aptè tu quidem certè ἀναλύειν retexere dixiſti: ſed tamen in malo illud quàm in bono dicere maluiſti. Itaque ἀναλύειν eodem modo quo tu interpretabor retexere: non quòd retexere ſit delere, ſed quòd his libris Ariſtoteles ratiocinationes quæ ſunt tota quædam, primum in formas ſuas, deinde in pronunciata, tum in uerba ſimplicia, aut etiam copulata ex quibus pronũciata cõſtant, quaſi rẽgrediendo diuidat atq; partiatur. Euſtratius enim quid ſit ἀναλυσις exponit his verbis, ἔστι μὲν ἡ ἀναλυσις, ἡ ἀπὸ τῶν συνθετων ὁδὸς εἰς τὰ ἁπλᾶ, ἐξ ὧν συνετέθησαν, ὡς ἐπὶ συντεταγμένων ἀρχῶν, τοὐτ' δ' εἰπεῖν στοιχείων ὄντι δὲ τῶν συλλογισμῶν ἀναλυσις εἰς τὰ σχήματα, ὡς εἰς ἀρχάς πνας ἤτοι κανόνας τεχνικὰς καὶ ἐπιστημονικοὺς· καὶ ἕτερα αὖθις, ὡς εἰς στοιχεῖα τὰς προτάσεις ἤγουν ὅρους ἐξ ὧν πρώτων συνετέθησαν. i. Eſt enim ἀναλυσις, quædã ab ijs quæ concreta ſunt & iuncta ad ſimplicia, ex quibus illa quaſi principijs, id eſt, elementis ordine diſpoſitis compoſita ſunt, progreſſio. Ratiocinationes autẽ retexuntur in formas, vt in principia quædam, id eſt, præcepta, quæ uia, arte & ſcien-

tia progrediũtur: & rursus in propositiones & uerba, ex quibus tanquam elementis & capitibus concretæ fuerant. Itaque ἀναλύειν translatione dici putat ab ijs qui peregrinantur, deinde domum redeunt. Qui enim, inquit, abfuit à patria, deinde reuertit eò unde exierat, ἀναλύει, id est, redire dicitur: ἀναλύεσθαι enim redire, siue occidere, siue recidere in his rebus à Cicerone dicitur, quemadmodũ alio loco docui. Resoluere autẽ & resolui non ausim dicere. Hoc te modo, Rame, de horum librorum inscriptione loqui oportuit. Neq; enim vllius est liber tam sanctus, cuius inscriptionem non posſimus isto pacto calumniari. Nam ut aliquid de libri tui inscriptione tua dicam, cui non liceat dicere, ideo à te inscriptum esse, Dialecticæ institutiones, quòd in eo doceas rationem lactucarũ serendarum? Διαλέγεσθαι enim esse disserere, id est in diuersis puluinis & areis serere lactucas, quòd sit tibi opus nasturcio & elleboro. Sexcenta eius generis cuiuis licet excogitare. Cuiusmodi cum sint tua omnia mimus aut histrio, in iocis & risu mouendo, quàm in re ipsa exponenda verus & philosophus esse maluisti. Multorum ego legi in multos orationes, quas priuatis inimicitijs impulsi vel scripserũt, vel habuerunt: De quibus hoc verè possum dicere, si ex eis omnia conuicia, maledicta, omnes contumelias eligens, vnum in locum conferam, fore vt eæ à tuis, quibus hunc libellum refersisti, longè multũmque superen-

tur. Itaque non constitui tibi deinceps ad eas omnino respondere. Secundum inscriptionem verba hæc, dici de omni, & dici de nullo, reprehēdis, sed leuis est tua reprehēsio. Nō enim de omni re his uerbis, ut vis, dicturos se Aristotelei profitentur, sed hæc ad partes ratiocinationis accommodātur. Hoc loco rides Aristoteleos, qui magistro sic assentiuntur, vt quæ perspicuè falsa sint, ea pro veris approbent. Neque hoc doces, neque docere potes. In quo tibi hoc pro Aristoteleis respondebo, Aristoteleos non tam auctoritati tribuere magistri quàm ueritati: te uerò inusitata quadam iracundia incitatum in omnium auctoritatē, quæ uero coniuncta est dicendo, speciem sapientiæ, atque veritatis fallaciter imitari. Itaq; vide ne in te illa tua recidat ratiocinatio,

Omnes impostores sunt execrandi,
Omnes sophistæ sunt impostores,
Omnes igitur Sophistæ sunt execrandi.

In qua nescio quid tibi in mentem venerit dicere, pro argumento sumi id quod quæritur. Nam si tua sententia hoc quæritur, Sintne sophistæ execrandi? id ipsum autem concluditur, & aliud est assumptio, aliud conclusio: certè non id quod propositum est sumitur. Neque verò tibi constas, qui modò hoc vnum quæri dicis, An execrandi sint sophistæ? modò hoc totum, An quia execrandus dicatur de omni impostore, & impostor de omni sophista, ideo execrandus de omni so-

phista dicatur. Sunt enim duæ illæ quæstiones, quarum cum prior posita est, posteriori nondum locus fuit: sed tum demum, cum illa confecta est ratiocinatio. Nam si stolido tuo quærēti, An sophistæ execrandi sint: eos verò esse, illa quæ paulò antè descripta est, ratiocinatione quis demōstraret, nec tum eius animus conquiesceret, pergerétque ille, An si omnes impostores sunt execrandi, & omnes sophistæ sunt impostores, idcirco omnes sint execrandi sophistæ: tum denique noua esset quæstio, eáque definitione quæ latet in argumento illo esset explicanda hoc modo, Sophistæ ÿ dicuntur qui gloriæ & pecuniarum cupiditate incensi, sapientiæ speciem fallaciter imitantur: Ii autem homines merito sunt execrādi, sunt enim impostores: Omnes igitur sophistæ merito execrandi sunt. Quæ cū ita sint, nec id sumitur quod quæritur, & argumentū est firmissimum. Ducitur enim ab adiunctis, quemadmodum Cicero vocat adiuncta. Sunt enim adiuncta sophista & impostor. Omnis enim sophista impostor est, nō contrá. Illud etiam miror, quòd in superiore argumentatione, argumentum nomen impostoris vocas. Argumentum enim non simplex verbum est aut copulatum, sed tota assumptio. Est enim argumentū, ratio quæ rei dubiæ fidem facit. Ita enunciatio est. Neque enim si quis ex te quærat, cur homo sit animal, tātum respondeas, natura vel res animata sentiens. Impostorem igitur non argumentum dicere debuisti, sed

duci ab eo argumẽtum. quemadmodum definitio argumentum non eſt, ſed ab ea argumentum ſumitur. Rides præterea illud Ariſtotelis præceptum, Si a de omni b, & b de omni c dicitur: a de omni c, dicatur neceſſe eſt. Cur autem id reprehendas nihil affers, niſi id quod iam refelli, in ea demonſtratione argumẽtum ſumptum eſſe ex quæſtione. Itaque certiorem hac regulam & libram eſſe quærendam. Hæc cum dicis, non tamẽ certiorem aliam doces. Quem autem medicum eſſe neceſſe eſt eum, qui ægrotare dicat homines, nec morbis eorum vllam adhibeat curationem?

Negas vlla eſſe principia ratiocinationum. Quæro ex te, Rame, cum oratores de collocatione uerborum loquũtur, quid aliud præcipiãt, niſi verba alia eſſe ſimplicia, alia coniuncta, quot ſint collocandi genera? in ſingulis generibus, quo quodque uerbum loco ſit collocandum? An nõ hoc Ariſtoteles docet his libris, qui tria genera vera collocandi tradit? vitioſa quæ ſint, vt vitentur monet? in quoque genere quod verbum primo loco, quod ſecũdo, quod tertio ſit aptius, exponit? qui propoſitionum inueniendarum tradit diſciplinam? Num tibi hæc videntur initia & elementa & quaſi fundamẽta vel firmiſſima ratiocinationũ? At formas omnium vitioſarum ratiocinationum tradidit. Si hoc in eum, vt vis, criminoſum eſt, accuſandi ſunt omnes rhetores, qui dũ de partibus orationis diſſerunt, earumque dant præcepta, vitia etiam quæ fu-

gienda sint denunciant. Cicero culpandus, qui de virtutibus in libris de Officijs disputãs, quæ uitia in quoque genere declinare debemus, præcepit. Quid leuius, quid infirmius his rationibus? Eodem omnes reuocãdæ sunt. Nam quod ais, eum tantum vitiosas aliquando fallere, & ueras semper tum ueras tum utiles esse ratiocinationes, docere oportuisse: tu scilicet viam & rationem tradendarũ artium eum docebis? quasi verò hæc prætermiserit. Cum docet ex duabus quæ negant nihil concludi posse, nihil ex tribus verbis, quorum unũ sit ambiguum, cæteráque uitia exponit: quid aliud nisi quando vitiosæ sunt, fallacésque explicat? Firmæ porro argumentationes non solum quando & quemadmodum erunt dicit, sed etiam exempla proponit: quæ tu obscura, vt equidẽ existimo, ob eam causam putas esse, quòd literis in cõficiendis ratiocinationibus vtatur. Hoc nõ primus ille fecit. Euclidem aliósque philosophos habet auctores, qui quò præcepta sua latius pateant, nõ uerbis, sed solis elementis rẽ exprimunt. Nam quæ duo principia conclusionis, cõprobandæ poni ab eo dicis, ea nõ ad probandã, sed ad refellendam valent conclusionem. Itaque nõ mirum est ea te quæ nõ intelligas, improbare. Ea enim si quàm uera sint & utilia, & in hominũ more posita cognosceres, minimè reprehenderes. Enimuerò Rame, hoc à te quæro, si nihil effici necessario ex ijs quæ quispiam tecum disputans assumpserit, docere uelis, an commo-

dius eum refellere posſis, quàm ſi doceas, concluſionis attributum rei ſubiectæ & omni & nulla ex parte poſſe conuenire? Hoc fortaſsis tibi videbitur obſcurius. Planius faciam tua cauſa. Quicquid concluditur argumentando, id vel de toto genere, vel de parte intelligatur neceſſe eſt. Nam vel propoſitionem vniuerſam, vel particularem quam uocant concludimus. Si de toto genere vitioſè intelligatur, an commodius id refutare potes, quàm ſi demonſtres fieri poſſe, ut de nulla, id generis parte dicatur? ſi de nulla dicatur, fieri poſſe ut de toto genere intelligatur? Certè nō. Tum enim ex ijs quæ aſſumpta fuerunt, nihil effici poterit. Vt ſi hoc modo cōcludā primo genere ratiocinationis,

Omnis virtus eum in quo eſt bonum efficit,
Nulla ſimulatio virtus eſt,
Nulla igitur ſimulatio eū in quo eſt bonū efficit.

ignaro, concludere videbor ex duabus illis ſumptionibus, nullam ſimulationem eum efficere bonum in quo ipſa ſit. At ſi mihi res ſit cum docto, is mihi ſtatim occurret, etſi ſumptiones veræ ſunt, non tamen ex ijs neceſſario effici concluſionem: propterea quòd in ſimili genere aliquid concludere poſsit, in quo de uniuerſo genere id dicendum ſit, quod de nulla eius parte in ſuperiore concluſione dicatur. Itaque concludet hoc modo,

Omnis iuſtitia eſt virtus,
Nulla prudentia eſt iuſtitia.

Nulla igitur prudentia est uirtus.

Superiori conclusioni uides occurri, quòd in posteriore id concludatur de nulla parte, quod uniuerso generi conuenit: omnis enim prudentia uirtus est. I ámne uides Rame id initium quod improbas, multum ualere ad refellendum, si posimus docere id quod in uitiosa argumentatione de nulla parte dicatur, in toto genere intelligi? Hoc tu omni inesse uocas, quod nemo potest intelligere. neque [illegible] principium est, cum ne perfecta quidem oratio. Si hoc modo perficias, Quotiescunque attributum de toto eo quod quæritur in conclusione negante dici docebitur, refelletur argumentatio: tum nec obscurum erit principium & eius usus intelligetur. Eodem modo explicemus licet pluribus, id quod inesse nulli uocasti. Quotiescunque attributum conclusionis aientis de nulla parte rei propositæ dici docebitur, refelletur argumentatio. Hæc autem duo sic apud Aristotelem explicata sunt. ὅταν πανὶ μὲν μηδενὶ ἐνδέχηται τὸ πρῶτον τῷ ἐσχάτῳ ὑπάρχειν, τότε ἢ τὸ μέρος ἢ τὸ καθόλου γένος οὐκ ἀποδέδεικται. *id est, Quotiescunque fieri potest, ut primum uerbum de toto extremo, & de nulla parte eius dicatur, nihil efficietur necessario, neque de parte, neque de toto genere. Posteaquam hoc principium posuit, ne sæpe cogatur inculcare, his tantum uerbis utitur,* ὅροι δὲ μηδενὶ, ἢ μὴ ὑπάρχειν, ὅροι δὲ παντὶ ὑπάρχειν, *id est, Verba erunt quibus nulli parti, aut non conuenire do-*

cebimus, hæc. Verba quibus de toto genere dici docebimus, hæc sunt. Hæc autẽ pauca uerba, Rame, nec omnia, illis pluribus relictis, tantũ profers, quô scilicet rẽ magis inuidiosam facias. Quod quàm deforme sit, cum omnes intelligant, minus tibi in posterum credẽt. His autẽ principijs expositis, facile erit ad ea respondere, quæ tu in secundo & tertio ratiocinationum genere obscurissimè quæri di[illegible]. Neque enim obscuritatem Aristoteles attulit, q[illegible]am ei obijcis, sed tua oratio. Iis enim locis docet, ex quibus sumptionibus nihil efficiatur. Itaque eadem illa duo principia ad ratiocinationes uitiosas refellẽdas accõmodat. In quo etiã uel malitiosè uel imperitè certè dixisti hæc ab eo quæri omnia. Neq; enim quærũtur, sed cõfirmãtur. Præterea hæc à te nõ intelligi argumẽto est, q̃ quæri in secundo genere dispositionis dicis, cũ utraq; sũptio uniuersa est, an omni insit, cũ potius an nulli insit quæratur. Ratiocinationes enim uitiosæ quarũ assũptio et propositio aiũt nõ refelluntur, si attributũ cõclusionis rei subiectæ uniuersæ, sed si nulli eius parti cõuenire doceatur. Ex duabus enim aiẽtibus aiens sequitur cõclusio. Ita si refellas uitiũ, nulli parti aut certè non omni conuenire quod de toto genere dicitur, docere debes. Eodem modo coarguitur ignoratio tua, cum ais in tertio genere, id est figura quam uocant, quæri, si propositio uniuersa aiat, & assumptio ex parte neget, positne nulli inesse siue conuenire. Cum enim sic sumptiones affectæ sunt, ut altera

neget, aiat altera, tum sequi debet quæ negat conclusio. Ita si uitiosa est argumentatio, docendum est, de toto eo quod quæritur, attributum conclusionis dici. Vtrũq; eorum quæ dixi, uerũ esse, Aristotelis uerba quæ protulisti, etsi non omnia, indicabunt, ὅταν δ' ὁ μείζωνος ἢ καθόλου, ὁ δ' ἐλάττωνος μερικὸς, στερητικὸς οὐκ ἔσται συλλογισμός. id est, Cum autem maius extremum ait, minus autem negat ex parte, tum nulla sequetur conclusio. Nam paulò pòst, uerba subijcit, quibus omni rei propositæ ac subiectæ attributum cõuenire docebitur, ὅροι τὸ παντὶ ὑπάρχειν, ἔμψυχον, ἄνθρωπος, ἵππος. uel certè quod sequitur præceptum intelligis, ὅταν δὲ ὁ μείζωνος ἢ καθόλου, ὁ δὲ ἐλάττωνος ἐν μέρει, τὸ μὴ ὑπάρχειν, κόραξ, χιών, λευκόν. Nam alterum quod commemoras, expressum est his ferè uerbis, οὐ δὲ ὅταν ἀμφότεροι στερητικοὶ τεθῶσιν, ἢ δὲ ὅλῳ καθόλου, ὁ δὲ ἐν μέρει, ὅροι τὸ μὴ ὑπάρχειν ὅταν ὁ ἐλάττωνος ἢ καθόλου πρὸς δὲ μέσον, ἵππος, ἐπιστήμη, ἄγριον, τὸ ὑπάρχειν, ἵππος, ἄνθρωπος, ἄγριον. id est, ne tum quidẽ sequetur conclusio, cũ utrunq; extremum ita negabit, ut illud quidem uniuersè, hoc autẽ ex parte neget. Verba quibus non conuenire docebitur rei subiectæ attributũ, quando minus extremũ de toto medio uerbo dicetur, hæc erunt, animal, scientia, ferum: ea autem quibus conuenire demonstrabitur, hæc, animal, homo, ferum. Quæ cum ita sint, roga nunc Rame, quos uoles, dum modò docti sint, tantáne sit his in uer

bis, quantã esse uis, obscuritas: & putent ne hæc à te intelligi? Neminem esse arbitror, quin te & malicioſe feciſſe dicat, & inſcienter: malicioſe, quòd non uerba Ariſtotelis protuliſti, ſed tuo arbitratu, neſcio quã interpretationẽ quam etiam obſcuraueris: inſcienter, quòd contrà, quàm Ariſtoteles intellexit. Illud uerò non ſatis mirari non poßũ, quòd ex prima illa forma nihil tale protuleris, cũ in ea non pauciores, quàm in ſecunda & tertia uitioſæ ſint concluſiones. Quarto loco conuerſiones. i. reciprocationes reprehẽdis ut inutiles. Reciprocationes autẽ uocat Ariſt. cõcluſiones eas quæ ex quaq; enũciatione recto ordine ad cõuerſum ordinẽ efficitur, ut, Omnis iuſtitia uirtus eſt, quædã igitur uirtus iuſtitia eſt. Has autẽ Ariſt. excogitauit, & tradidit, ut eas ratiocinationes quæ non directò concluderẽt, ad eas quæ rectò cõcluderẽt, reuocaremus. Negas ullũ earũ uſum eſſe, quòd à natura omnis ſermonis abhorreant. Si eas doceã non à natura omnis ſermonis abhorrere, earum uſum aliquem fateri te oportebit. Lege hunc Ciceronis ex Topicis locum, Ex comparatione autem omnia ualẽt quæ ſunt eiuſmodi, Quod in re maiore ualet, ualeat in minore: ut ſi in urbe fines non reguntur, neque aqua in urbe arceatur. Item cõtrà, Quod in minore ualet, ualeat in maiore. Licet idem exemplum conuertere. Iámne uides, Rame, Ciceronem uſum eſſe cõuerſionibus? Vult enim ſuperius exemplum conuerti. Conuertamus igitur hoc modo licet, ut hoc ſit rectũ argumẽtũ qđ tractauit,

Si in urbe fines nõ regũtur, neq; aqua in urbe arceatur: Conuersum autem huiusmodi,

Si aqua in urbe non arcetur, neque in urbe fines reguntur. Hoc ita perspicuum est, ut negare non possis. Proferam alterum eius locum, ex quo id erit etiam euidentius. In primo de Diuinatione, Ego enim sic existimo, si sint ea genera diuinandi uera, de quibus accepimus quæque colimus, esse deos: uicissimque sidij sint, esse qui diuinent. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam Quinte defendis, siquidem sic ista reciprocantur, ut si diuinatio sit, sint dij: & si dij sint, diuinatio. quorum neutrum tam facile quàm arbitraris conceditur. Vides, Rame, hoc genus argumentorum quæ conuersa dicuntur, ne à rhetoribus quidem esse repudiata. quæ si demonstraui à natura omnis sermonis non abhorrere, eorũ usum aliquem esse negare nec debes nec uero potes, cum uideas summos auctores de eorum usu scribere. His in libris deinceps ratiocinationes quæ sunt ex necessario, ex eo quod fieri potest, & ex pronunciationibus ab his omnibus solutis & liberis reprehendit. cum fraudis & mendacij plena dicit omnia, tum illud maximè, quòd Aristoteles tradit ex propositione quæ dicit aliquid esse necessariò, & ex assumptione simplicis uerbi concludi id quod necessarium est. Itaq; occurrit ei hac ratiocinatione eiusdẽ generis, Omnis hõ necessariò est rationalis: Quiduis currens homo est: Ergo omnia currentia necessariò rationalia sunt.

Hanc iſte ratiocinationem diuturna meditatione excogitauit, ſperans ſi quid in Ariſtotelis arte repugnans inueniſſet, fore ut Ariſtotelis uia & ratio improbaretur, probaretur ſua. Sed q̃ nihil profecerit, uideamus. Ex duabus his ſumptionibus nihil effici poſſe ita omnes perſpecturos dicit, ſi ſoli homines currant. Atqui ſi ſoli homines currant, etiam omnia currentia rationalia erunt neceſſariò. Non ſatis eſt, inquit. Currant etiam aſini, neceſſariò erunt rationales. Visne hoc poſterius unà fingi cum ſuperiore, an diuerſis temporibus? Si eodem tẽpore, hoc fieri nõ poteſt: neq; enim fieri poteſt, ut eodem tẽpore & homines ſolos & aſinos currere faciamus. Nã ſi fingas aſinos currere, non eodẽ tempore homines currẽt. Si diuerſis tẽporibus, quod uis nõ habebis. Nã ſi homines ſoli currant, hoc ſequetur, omnia currentia rationalia eſſe neceſſariò: ſi aſini, hoc falſum erit quod ſumis, Quiduis currens homo eſt. De hoc autem conatu & inſtituto tuo hoc uerè poſſum dicere, cum ex ijs omnibus quæ adhuc conſyderaui, tum uel ex hac tua ratiocinatione & duplici fictione, facile perſpici poſſe tuã in Dialecticis ſiue inſcitiam ſiue ignorationem. Sed cætera conſyderemus. Negas Ariſtoteleos nouam ullã in ſecunda & tertia forma facere concluſionem, quòd ſecundæ formæ concluſiones primo tertióque primæ formæ modo, tertiæ ſecundo ſextóque eiuſdem omnes continentur. Hoc falſum eſt. Quî enim fieri poteſt, ut omnes ſecundæ formæ concluſiones primo tertióque

primæ formæ modo cõtineantur, cum primæ figuræ duo illi modi aiant, & negent omnes secundæ? eadem est ratio tertiæ. Nam primæ secundus & sextus modus negant, tertiæ autem tres aiunt. Hæc mihi scripsisse uideris, quòd sperares omneis tibi tantum asserenti, non etiam probanti credituros: neminémque fore qui te si mentirere, auderet refellere. Cũ autem te coargui uideas, multum te fefellit opinio. An non perfecisti istis tuis mendacijs, ne tibi posthac quisquam assentiatur? Sunt enim eiusdem generis omnia, quæ si uera essent, tamen eiusmodi tui fidéique tuæ adhuc specimẽ edidisti, ut suspecta omnia sint habenda quæ dicis. In quo genere tua est illa reprehensio. Hoc in Aristotele exagitas, quòd contingentis rei significationes exposuit. Ridiculè enim, inquis, in necessarium & non necessariũ diuisit. Falso hoc ei obijcis. neque enim simpliciter necessarium dicit id quod contingit ut fiat, sed cum adiũctione: ut hominem augescere, aut interire, non omnino necesse est, sed ex adiunctione si maneat in uita. Incommodum sequi Aristotelem dicis, quod in secunda forma nihil concludi posuerit ex duabus contingentibus. Quod est illud tandem? hem recordor. In libro de interpretatione duas cõtradicentes falsas cum maxime uelles, demonstrare minime potuisti: quin etiam hoc docui, si in tua sentẽtia, quam cæterorum omnium iudicijs anteponebas, permaneres, te uitare non posse, quin duæ cõtradicentes simul ueræ dicerentur. Hic lapis est ille

ingẽs,ad quẽ tu ipse dũ alios reuocare uis, impingis & offendis. Atque hanc quidẽ plagã leuissimã dicis esse in contingentibus, quam grauissimam paulò antè dicis. Pugnantia igitur loqueris. Quæ autem sequitur, negas te scire quomodo perferri possit. Quænã hæc plaga est? In secunda forma, ut ais, tradit Aristoteles ex soluto effato & contingenti, uel ex necessario contingenti cõtingens concludi. Id uerum est. Hoc tu fieri posse negas. quod si negatio concludatur, cõcludetur & affirmatio. Non intelligit Ramus noster, cũ aliqua ponitur quæstio, satis esse id quod quæratur probabile esse cõcludere: sed uult conclusionem omnem esse necessariam, ut ei cõtradici minimè possit. Nam cum multa fieri possint eadémque possint non fieri, negat aliquid tale concludi posse, propterea quòd idem possit non euenire. quem errorẽ ex inscitia differendi natum esse cum multa alia, tum hoc exemplum confirmare potest. Si quæratur, possitne ægrotus conualescere? Hoc argumento cõcludi poterit,

Quicunque ex duobus contrarijs alterum habet, cõtrarium etiam recipere potest:

AEgrotus alterum contrariorum habet, scilicet morbũ:

AEgrotus igitur alterũ, id est, ualetudinẽ recipere põt.

Hæc ratiocinatio infirma Ramo uidetur, quòd negare quid potest conclusio, hoc modo,

AEgrotus igitur ualetudinem potest non recipere. Eodem modo de hac argumentatione iudicabit, si quæra-

tur, possintne non euenire res futuræ.
Quæcunquæ res incertæ sunt, eæ possunt non euenire:
Res autem futuræ incertæ sunt:
Res igitur futuræ non euenire possunt.
Dicet enim conclusionem quæ negat, conuerti posse in affirmationem, hoc modo,
Res igitur futuræ euenire possunt. Sed eius insciti hoc modo licet refellere. Non intelligis Rame hanc enunciationem,
Aegrotus potest non conualescere, non esse contradicentem huius alterius,
Aegrotus potest conualescere, quod necesse est te docere. si argumentationi resistere uelis. Cum uero hæc,
Aegrotus non potest conualescere, aut hæc potius,
Nullus ægrotus potest conualescere, sit in ijs quæ fieri non possunt: uides quid de Dialectica tua omnes sentire debeant. Non igitur hoc loco ab Aristoteleis distinctio opponitur ea quam putas, non concludi contingens necessarium (nihil enim de rebus futuris concludi possit) sed uerũ de te iudicium significatur & exponitur. Ita promissum suum Aristoteles exoluit, quod negas, Sextum locum maximam lernam appellas, eámque dicis irridendam maximé. Adhuc calumniatũ te esse demonstraui. nunc singularem impudentiam simul & insciti am tuam in lucem proferam. Quid impudentius quàm eum librum reprehendere, in quo quæ disciplina contineatur, aut cuius quæ sit sententia, nescias? caput

de Capite 22 ubi de syllogismis ex hypothesi. 23. 24 25. 26 27

unum esse dicis de medij inuentione: ne uerbum quidem de hac re facit. Itaque non mirum si tu qui totius capitis sententiam ignoras, in exponenda singillatim capitis sententia plane aberraueris. Neque enim quæ ulli uersui subiecta esset sentẽtia, dixisti. quo quid fœdius in eo præsertim qui se correctorem profitetur? Lege ac relege caput illud, tũ scies propositum esse Aristoteli docere, omnis ratiocinationis eam esse uim & naturam quã adhuc demonstrauerit. Quod ut doceat, ponit quicquid concludatur & demonstretur, id uel conuenire doceri aut non conuenire: idque uel uniuerse, uel ex parte. docere autem uel demonstrando directò, uel fingendo & non directo. Tum id quod sibi proposuit singulis his ratiocinationum generibus confirmat. Id autem sibi proposuit, docere, tribus illis formis, omnem ratiocinationem contineri. Ac primum quidem in ea ratiocinatione, qua aliquid directo concluditur, ex duobus uerbis nihil effici posse demonstrat. Itaque medium quoddam quasi uinculum, quo duo illa colligentur, adhiberi docet oportere. Quod posteaquam necessaria ratione conclusit, tribus modis hæc tria uerba necessaria inter se affici posse docet, ex quibus treis ratiocinationũ formas, quas figuras uocant, esse cõcludit. Deinde eius etiã ratiocinationis qua ad incommodũ impellimus, & quæ ex cõcessione cõcludit docet eãdẽ esse rationẽ. His ita cõstitutis, perspicuum esse concludit, omnia ratiocinationum genera à prima forma absolui & perfici, eáque ad illius modos

redigi ac referri, qui uniuerſe concludant. Tum docet in omni ratiocinatione enunciationem aliquam quid dicere oportere, idque de toto genere, id eſt, uniuerſe. Itémque uniuerſam cõcluſionem, ex ſumptionibus uniuerſis eſſe concludendam, eam autem quæ de parte dicit, utroque modo poſſe. His etiam poſitis, de ea ratiocinatione quæ aliquid neceſſaria ratione concludit, eodem modo docet eſſe iudicandum. Deinceps perfectæ ratiocinationis tria uerba & duas propoſitiones dicit eſſe, addi tamen poſſe uerbum unum præterea, quod etiam enunciationum numerum augebit. Poſtremo ex his omnibus concludit, quænam propoſitiones faciles ſint & quæ difficiles ad confirmandum & refellendum. Hæc capitis huius ſententia eſt, id quod facile intelleXiſſes, ſi ſaltem capitum enumerationem hanc, quã extrema oratione eius capitis, poſuit, legiſſes, πῶς μὲν ὃν γίνεται πᾶς συλλογισμὸς, καὶ διὰ πόσων ὅρων καὶ προτάσεων καὶ πῶς ἐχόντων πρὸς ἀλλήλους. ἐὰν δὲ πρῖον πρόβλημα ἐν ἑκάτερῳ σχήματι καὶ ὡσὶον ἐν πλείοσι καὶ ὡσὶον ἐν ἐλάττοσι δείκνυται, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, id eſt, ac quemadmodum quidem omnis ratiocinatio confletur, & ex quot uerbis ac propoſitionibus, quoq; mõ inter ſe affectæ ſint, quæ præterea quæſtio in quaq; forma, quæq; in pluribus, & quæ in paucioribus inſit, ex ijs quæ dicta ſunt, intelligi licet. Cõfer nũc quatuor capita quæ hoc loco tractari dicis ab Ariſtotele, nullum cum his congruere iudicabis. Corrumpe-

re hoc est, Rame, non corrigere: calumniari, non refellere. Quis iam miretur, ijs te rebus tenebras offusas esse dicere, quas nõ intelligas? Quòd si hæc sequenti loco te dicas reprehẽdere, doce quo loco de medij uerbi inuẽtione disserat, quo loco absolutis mixtis enunciationibus (nam hæc illas sequi dicis) hæc tua quatuor capita Aristoteles explicet. Nam ijs constitutis enunciationibus, de generibus ratiocinationum quæ ostensiuæ, & ad impossibile, & ex conditione uocantur, statim disputat. Hæc autem genera & alia quæ eo quod consyderaui, capite tractat, eo reprehendis, quòd nec eorum usum teneas, nec quorsum hoc loco tradantur scias. Traduntur autẽ hoc loco, propterea quòd principio libri dilucidè & planè disputata fuerãt, cum accuratã & subtilem orationem exordium minimè pateretur. est enim hoc Peripateticis in more positum, Ciceronis etiã sententia, ut res primũ planè tradant, deinde eas diligentius persequãtur. Sed erraui, fateor: uerũ errori meo tu causam dedisti. inueni tandem quò hæc quatuor capita tua pertinent. Cum enim ordo postularet, ut de ostensiuo syllogismo quem uocas, alijsque permultis, & de propositionum inuentione diceres, alijs prætermissis quorum usus est maximus, alia perturbato ordine persecutus es, cũ inuentioni medij uerbi quæ postremum locum apud Aristotelẽ tenet, mediũ dedisses. Ita quem sextum locũ dicis, septimus esse inuenitur. Quid autẽ in hac medij uerbi inuentione & relatione ratiocinationũ ad tres

formas, dignum reprehensione tibi uidetur? An non Aristoteles hæc tria sibi proposuerat, primum quid esset ratiocinatio, & ex quibus constaret docere: alterum quemadmodum magna nobis ad disputandum argumẽtorum facultas suppeteret: tertium quemadmodum ratiocinationes in formas treis redigerentur? Hoc si utile est, cur eius institutum improbas? Vtile autem esse negare non potes, nisi omnes ratiocinationes uelis tollere. Nam si eas probes, primum quid sint, deinde quibus & quot ex partibus, cõstent, intelligendũ est. Nec hoc satis est, sed inueniendæ sunt, ut per eas tractemus argumentationes. Hoc cum tradat Aristoteles, eius artem improbabis? At non rectè tradidit. Vide quàm rectè. Cũ ratiocinatio omnis ex propositione, assumptione, & conclusione constet, earum autem una quæque ex duobus uerbis, quorum unũ alteri conuenire, aut non conuenire oporteat: num melius docere potuit ratiocinationum inuentionem, quàm exponendo quæ uerba aut res quibus conueniant aut non conueniant? Atqui hoc unũ in propositionum & uerbi medij inuentione præcipit. Itaque quæ tu quatuor eius de hac re præcepta rides, eò compendiaria uia ferunt. Nec si Aristoteles cum primum primæ formæ modum definit, maius extremum antecedere, medio, minus illud sequi tacitè dicit, idcirco hæc eius præcepta superuacanea debent uideri. Locos omneis ex quibus ducantur argumenta, principio Topicorum breuiter exponit Cicero: cur ei non obijcias isto

pacto minus necessarium illum laborem, quem postea in ijsdem latius explicandis tractandisque, susceput?

de Syllog. Eadem est ratio relationis, aut maior potius, præsertim cum hi libri inscripti sint ἀναλυτικῶν, quòd in ijs, ut iam supra dictum est, traditur ratio redigendarum & retexendarum ratiocinationum, primum in propositiones, deinde in simplicia uerba. Nam aut ita inscribi nō debuerunt, aut quod inscriptio profitetur, tradēdū fuit. Est autem hæc una è tribus quas dixi tradendarum artium disciplina, finem enim unicuique arti propositum licet uel in suas partes retexere, etiam minutissimas, uel in ea quibus ad eum finem peruenīri potest. Si contrà à partibus aut à rebus ferentibus ad illum finē progrediamur, σύνθεσις, id est, constructio dicitur. Cum igitur hoc suscepisset Aristoteles, id diligenter præstitit. Nam primum ratiocinationem in enunciationes retexendas esse censet, deinde in tria uerba. Quò autem id facilius & sine ullo errore faciamus, quæ uitia in utroque declinare debeamus, præcipit, quoque loco & in simplici ratiocinatione & in retorta seu repetita & copulata. (ἀναδίπλωτον uocat) singula uerba sint collocanda tradit. Neq; hoc solū, sed quæ cuiusque formæ aliæ in alias redire possint & redigi exponit. Hoc posterius efficere nō potuit, ut nō de cōuertēdis propositionibus disputaret, de quibus etsi principio libri disseruit, tamē alia fuit illius loci, alia huius ratio. Illic enim reciprocationes eò exposuit, vt doceret quemadmodum

ad quatuor primos primæ formæ modos cæteri reuocarentur. Hic autem ad mutuam ferè omnium cõuersionem hæc accommodauit. Infinitas autem enunciationes eò adhibuit, ne in eis retexẽdis similitudine falleremur. Nihil enim aut non multum interesse videtur inter has,

Socrates est non bonus,

Socrates non est bonus.

Intelligis, Rame, ut opinor, quorsum hæc omnia sit Aristoteles persecutus. Quapropter nõ solũ iam quiescas hoc frustra suscepto labore, sed etiã stertas per me licet. Atque hæc sunt quæ in priore libro digna tibi visa sunt quæ reprehenderes. In posteriore autem multa sunt, quibus risum moues, & verò risum moues. Quis enim non rideat Ramum ex imperatore instructa hostium, vt sibi uidetur, acie superata, histrionem repẽte esse factum? In categorijs enim finxit sibi hostium aciem, nunc spectaculum & theatrũ sibi proponit omnium deliciarum & voluptatum plenum, quibus constringendum se dedit non secus, atque Annibal deuictis penè Romanis, se Campaniæ voluptatibus tradidit. Spectaculum proponit variorũ actuum, protasin, epitasin, catastrophen inducit. Tibicines intromittit, ad quorum scilicet sonos dormiat. Postremò saltatores. Quorsum hæc omnia? Si veritatis patrocinium cõtra eius hostes suscepisti, quid ueritati cõmercij est cum saltatoribus, cum uoluptatibus? cum orgijs?

Lib. priori secundus.

Simplicitate gaudet, non fuco veritas. Quapropter his prætermißis iocis ad vera veniamus. Docet Aristoteles initio huius libri quæ ratiocinationum sumptiones multas, quæ paucas cõclusiones efficiãt. Hoc dignum risu isti uidetur. Paulò post docet ex veris falsum non effici, ex falsis verum effici duobus modis, & vna tantum &, duabus falsis sumptionibus. idque quibus in formis usuueniat multis confirmat exemplis: quod quàm utile sit quis ignorat? cũ præsertim illa duo sint principia dialecticorũ. Reliqua oratione genera quædã ratiocinationis exponit, eorumq; usum ad formas tres accõmodat. Id autẽ genus in quo uicißim enũciationes quasi in orbẽ concluduntur, iste improbat. Aristoteles hoc non probat omnino, cum in priore libro analyticorum posteriorum ob eam causam repudiet, quòd res eadem ad se probãdam adhibetur. Ita autẽ iste contradicit, quasi pro uera argumẽtatione semper ab illo probetur. quod eodẽ modo de principij petitione iudicandũ est. Neq; enim hæc tradit, ut ijs utamur, Aristoteles, sed ut ab ijs caueamus: alijsq; qui eis utẽtur, posßimus resistere. Barbarismos & Solœcismos aliáque orationis uitia eodem modo grãmatici docẽt, & oratores uitiosas partes orationis. Quàm sunt hæ graues reprehensiones? eius præsertim qui falso bellũ indixit. Ratiocinationem eam quæ incommodo urget eum qui falsum aliquid cõcesserit, quòd nullam admonitionem nouam desyderaret, essetque contenta cõmu-

nibus legibus ratiocinationis, Aristoteli obijcit. At cũ duo sint genera, alterũ quo recta quasi fronte aliquid probatur aut refellitur: alterum quo non directo: aliquid de posteriore dicendũ fuit, qui cõficiatur, quibus in formis, & quemadmodum Inductionem, enthymema, exemplum Aristoteles à ratiocinatione seiungit, quẽadmodũ Cicero et Quintilianus solent. Hic si quid inter inductionem & ratiocinationem interest, intellexisset, nunquam ex inductione ratiocinationem facere cogitasset. Sic enim differũt, ut nunquam consentire possint. Inductio enim à rebus singulis ad res uniuersas progreditur: ratiocinatio cõtrà à rebus uniuersis ad singulas. Quis enim hanc argumẽtationẽ quam tractat, ratiocinationem esse concedet?

Omnis homo omnisque bellua sentit,
Omne animal homo est belluáue,
Omne igitur animal sentit.

Ab hoc enim quæro, cur maius extremum in propositione collocetur? Paulò antè dixit, quòd latissimè vnum ex tribus verbis patere debeat.

Exemplum autem negat Aristoteles esse ratiocinationem, quòd à simili ducatur. ob eámq; causam subijcit inductioni. Cane nunc victoriam Rame cum tuis saltatoribus,

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis:

Libet enim mihi etiam aliquid ex poeta depromere, præsertim cũ tu poetas ames, à quibus rhis causa car-

mina innumerabilia, ab oratore ne verbum quidem
sumpseris. Quoniã breuiter ad ea omnia quæ in prio-
ribus analyticis reprehẽdisti respõdi, sequitur vt pau-
ca dicam ad ea quæ in posterioribus analyticis repre-
hẽsione ais non carere. Primũ totũ genus hoc neces-
sariè aliquid concludendi, vt minus necessariũ tollis hoc
modo, Si syllogismus est argumẽti certa firmaq; dis-
positio, noua certè syllogismi species nouam argumen
ti dispositionẽ ostendet. non est hæc necessaria conclu-
sio. Id quod probatione non eget, cum id tute fateare.
Ais enim demonstrationem non à noua collocatione
uerborum nouum ratiocinationis genus appellari, sed
à medio uerbo, adde etiã eò, à sumptionibus quæ sint
causæ conclusionis. Itaque hoc potius concludere de-
buisti, Quorũ sunt diuersæ definitiones, ea diuersa &
dissimilia sunt: ratiocinationis autem & demõstratio-
nis diuersæ sunt definitiones: sunt igitur dissimiles ra-
tiocinatio & demonstratio. Hoc enim si concluisses,
nunquam aberrasses. Neque verò si ex medio verbo
& sumptionibus demonstratio nominetur, propterea
à causa, ab effectu, à subiecto, ab adiuncto & cæteris
argumentis nouas syllogismorũ formas vocari neces-se
est. Vt enim homines qui in Græcia, qui in Asia, qui
in Europa habitant, non amittunt nomen hominis, nec
nouum hominũ genus faciunt: sic hæc argumenta ex
locis aut sedibus vnde eruuntur non efficiunt nouam
formam ratiocinationis. Quanquam si hoc tibi conce-

a analytica posteriora

dam, quod certè probabile est, nec ego quicquam incommodi suscipere cogar, nec tu id quod vis habebis, ex dispositione argumentorum ratiocinationis genera esse iudicanda. Quid enim alienū est, fateri, ut ratiocinationis qua persuademus, multa sunt genera pro causarū ratione: sic eius esse quæ aliquid probabili ratione concludit? Ex dispositione autē argumentorum non semper spectanda ratiocinationis genera, hinc intelligi potest, quòd isto pacto eā quæ ab omnibus probatur, ratiocinationis, siue argumentationis diuisionem alias necessaria, alias probabili ratione aliquid concludendi, tollemus. Rides ea quæ tuus idiota, quem in arte tradēda tibi fingis, cōcederet. Roga eum qui sciat aliquid, tū causam tibi afferet eiusmodi, quæ id necessariū efficere videatur. Scire enim se dicet, quòd causam teneat. Ridicula etiam illa tua conclusio est, Scire & rem persuadendo seu cogēdo intelligere, idem valent: Ergo demonstratio est scientiarum omniū mater. Eiusdemque generis sunt illæ tuæ interrogationes, Cuiusnā sciētiæ? Grāmaticæne? hic me ab Aristoteleis irrideri video. an rhetoricæ? & cæteræ. Isto enim modo in philosophiam, quæ omnium artium mater à Cicerone dicitur, dicas licet. Trahis autem me in difficilem quæstionē hāc, Quæ tandē sciētiæ & artes demōstratione vtantur. Mathematicorum ἀποδείξις esse Cicero dicit, quod satis esse debet ad tuas istas interrogationes & responsiones refellendas. Quocirca nimis

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

ridiculè concludis hanc scientiam ad geometras solos pertinere. Multa enim musici, multa arithmetici, multa astrologi demonstrant. Nec si Euclides propositionem quam exponis, non demonstrat, idcirco nunquam demonstratione vtitur. Cicero nũquam definiuit quid esset nomen, nihil ergo vnquam definiuit. Vides quæ sit tua cõclusio. Deinde ut dem tibi nullam demõstrationẽ ab Euclide eo genere tractari quo tractatur ab Aristotele, vide quàm in magno errore versere. Euclides nõ vsus est eo demonstrandi genere, quod Aristoteles docuit: Non igitur alius geometra. Rides etiam eius hanc quæstionem, Vtrum nullius rei an omnium sit demonstratio? An non necesse est eum qui aliquid docere uult, primũ aliena refellere, deinde sua confirmare? Hoc facit Arist. qui cũ nõnullos esse intelligeret, qui rem nullam: alios, qui res omneis demõstrari posse dicerent, vtrorunque sententiam refellit. Quam igitur ridicula est illa tua calumnia, At vane nugator (alloqueris enim Aristotelẽ) dicis prius demonstrationẽ in solis rebus vniuersis & æternis esse, id est affirmas solem interdiu solũ nobis lucere: deinde quæris an omni tẽpore, an nullo luceat? Illud enim plane & pingui quadã Minerua tradidit: quod quò accuratius doceret, antè eorum qui contradicerẽt, refellit refutauítque sententias. Quid est calumniari, nisi hoc est? Per se et de omni noua vocabula fingi ab illo dicis, & usitata deseri. Primum cedo quæ sint illa usita-

ta quæ negligat? Deinde nũ tu καθ' αὑτὸ nouũ uerbũ esse existimas? Quis Græcus auctor nõ hæc dicit, ἀρετὴ καθ' αὑτὴν ἐπαινετή? aut latinorũ, per se uirtus est laudabilis? Quis non hanc bonorum diuisionem adhibet, τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν καθ' αὑτὰ αἱρετὰ, τὰ δὲ δι' ἄλλο? Hoc loco Platonis, Theophrasti, Ciceronis, aliorúmque permultorum verba ad id confirmandum afferrẽ, nisi hæc tam perspicua esse putarem, ut nullam à nobis postulent probationem. Rami alia sequitur conuersio. Ex pictore primum imperator, deinde ex imperatore histrio, nunc ex histrione optimus gladiator effectus est. Baculum utrinque acutum nobis proponit, vt Aristotelem doceat rem cuiuis perspicuam in quæstionem vocare. Sed extra iocum, hoc loco calumniaris. Neque enim in tuo baculo, sintne duo termini, quærit (hoc enim ponit, vt tute dicis) sed positis sursum & deorsum versus terminis, quærit, num ea quæ in medio locata sunt, nullo certo numero, sed infinito contimentur. Quoniam hoc cur quærat nescis, accipe. Ego paulò antè docui nonnullos fuisse qui dicerent rem nullam posse doceri demonstratione: eorum Aristoteles eo loco rationẽ affert hanc, quòd in infinitum progressio fieret: quam tum minime refutauit, tantumque dixit, hoc si uerum esset, eorum sententiam aliqua niti ueritate. Quod igitur eo loco prætermisit, id hoc quem nunc tractamus, consyderat. Itaque primum quærit, fiátne in infinitum sursum aut de-

ὁρσum uersus progressio, deinde an constitutis terminis duobus, progredi liceat in infinitum? Horum autẽ sententiam ab eo refelli hæc eius uerba declarant, ὅτι δὲ οὐκ ἀποδεῖν τοῦτο καὶ αἱ ἀποδείξεις εἰς ἄπειρον ἔρχονται. καὶ εἰ ἔστιν ἀπόδειξις ἅπαντος, ἢ πρὸς ἄλλα περαίνεται, id est, Hæc autem quæstio eadem est quæ illa, an in demonstrationibus liceat in infinitum progredi? & sitne omnium demonstratio, an reciprocè concludatur. Vbi est iam gladius tuus, bone gladiator? extortus tibi est è manibus. Ita gladiũ quo iugulareris (quod aiunt) præbuisti. Neque enim dubium est, quin illi ipsi quorum refellit sententiam, utrũque dicerent, & ponerent, res infinitas esse siue prima & ultima reperiretur, siue non reperiretur. Sed ad alia ueniamus. Neque enim ad tua conuicia respondebo.

29 pro 4 In secundo libro primum disputationem Aristotelis de definitione & demonstratione, sitne idem scire aliquid ex definitione & ex demonstratione, delirationem uocas: deinde rationem inuestigandæ definitionis quã tradit, improbas. Vtinam rectè & diligenter hanc totam disputationẽ, Rame, consyderasses: neque enim eô amẽtiæ prorupisses, ut definitionem & demonstrationem eandem esse idémque efficere iudicares. Hac enim uel una eius ratio te ab ista deduxisset sententia. Ait enim in demõstratione aliquid de aliquo dici, nihil dici in definitione. Ex quo facile intelligi & coargui potest tua dissẽrendi inscitia. Si enim demonstratio, tua etiam cõ-

fessione, syllogismus est (uis enim ut paulò antè dixi demonstrationem non efficere nouam speciem syllogismi) definitio autem nulla est enunciatio, certè aliud sit demonstratio, aliud definitio necesse est. Definitionem autem nullam in enunciationis numero esse, negare non potes. Hoc enim totum, Animal rationis particeps mortale, hominis est definitio. Quid quòd ab omnibus in hac re discrepas? Cicero & Quintilianus ἀκολουθίας inter argumenta numerant: tu cũ idem ualere eam dicis quod definitionem, ab argumentorum natura separas. Neque enim definitio argumentum est, sed ex ea argumentum ducitur: quemadmodum nec causa, nec effectus, nec cõtraria argumenta sunt. Nec si quærente aliquo, an Socrates sit homo, atque esse probes definiendo, idcirco idem definire quod demonstrare ualet in hac duntaxat quæ hic agitur significatione. Quoniam satis demonstratum est, quàm uehementer errarueris, quòd demonstrationem & definitionem idẽ efficere posuisti: sequitur ut de inuestigatione definitionis aliquid dicẽdũ esse uideatur. Definitionem petendã esse dicit Aristoteles ex ijs quæ de aliquo aut aliquibus dicuntur. In quo id præcipit, ut eiusmodi sumamus quorum unũquodque ei rei quam definire uelimus, sit cum alijs cõmune: ea autem uniuersa eius propria sint, neque in aliam rem transferri possint. Hunc autem definiendi modum Ciceronẽ sumpsisse ab Aristotele, & probasse in Topicis, alio loco docui, utriusque conuunctis & prolatis locis. Quæ

cum ita sint, quis est modus Rame quẽ tu neglecta horum tantorum philosophorum auctoritate, tenendum esse existimes? Hauriendum esse dicis ex inuentionis locis. Est ne illa tua facilior ratio, & expeditior? Hoc quidem te asserere uideo, probare non uideo: quod te certè fuit necesse facere, ut hanc tuam sectam sequeremur. cũ enim faciliorem tuam esse non cernamus, ueterum præceptis parebimus. esse enim facilior quî potest, cũ quæ sunt ordine naturæ priora, ea nos è posterioribus uelit haurire. Nã qui aliquod argumẽtũ à definitione sumet, is antè necesse est cognitam habeat definiẽdi scientiam. Quî enim definitionem rectè & aptè construet, nisi antè cognorit quibus ex partibus constet definitio? At id locus nullus argumentorum docere potest. non is qui ex genere, non qui ex forma, non qui ex differentibus, non denique is qui ex definitione ducitur. Itaque hoc potius dicendum fuit, locũ à definitione ex scientia definiendi petendũ esse. Nam si quæratur, quid sit Resp. eáque definiatur esse, Consociatio hominum bene beatéque uiuendi causa constituta, atque ea reprehendatur, quomodo loci illi poterunt suppeditare ad id probandũ facultatem? præsertim cum nihil aliud nos admoneant, nisi ab inuenta iam definitione, quo modo argumentum trahamus. Hæc mihi dicenda uisa sunt, Rame, contra tuam istam definiendi rationem, quo ad nobis illam descripseris. Ridicula est sanè quæ sequitur reprehensio, ad quam iam respondi. Nam et cur Aristoteles utatur ele-

mentis in demonstrationibus dixi: & falsum esse docui quod ais, usitatis in rebus & in uulgi sensu positis uersari Dialecticos. Illud mirari satis non possum, cur Stoicorum causam cum Aristotelis admiscendam & coniungendam putaueris. Iis præsertim in rebus, quarum Aristoteli facultatem detrahas. Ais enim his tot malis adiecisse Stoicos fallax genus ratiocinationis, cum paulò post Aristotelem neges unum præceptum reliquisse ratiocinationum earum, quæ dicantur conditionales. Cur autem hoc feceris, diuinare non possum: nisi fortè bellū omnibus scriptoribus indixisti. Sed hos duos modos cōclusionis consyderemus. Vis Socratem bonum esse uirum, hoc posito sumptiones ueras esse, & falsam conclusionem hoc modo doces,

Non si homo est Socrates, malus non est:
Sed homo est: ergo malus est.

Hunc tertium dicis cōcludēdi modū, ego nego. Si enim tertius esset, ita tractaretur,

Non & Socrates homo est, & non est malus:
Socrates autem homo est: Socrates igitur malus est.

Hoc modo tractandam esse hanc conclusionem Cicero te docere potuit, apud quem eius tractatio est huiusmodi. Cum autem aliqua cōiuncta negaris, & his alia negatio rursus adiungitur, & ex his primum sumpseris, ut quod relinquitur tollendum sit, is tertius appellatur modus. Itaque exemplum ponit hoc, Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pe-

cunia: legatum autem argentum est: legata igitur numerata pecunia est. Intelligis etiam hæc duo non esse cõiuncta, Socrates homo est, Socrates malus non est. Non enim sequitur, Socrates homo est, Socrates igitur malus non est. At hoc dixisti. Cur igitur hoc exemplum & alterum protulisti, quibus te putares posse huic loco resistere? Est ne hoc refellere alterius argumentum, cum illius in refellendo non spectes sententiam? Stoicorum hi concludendi modi solum ualent in repugnantibus, ut tute fateris, cum interea fallaces eos esse doces in alio genere. idque imperitè facis. Docere enim debes in simili genere argumentum non ualere. Quod facere non potes. est enim hic septimus concludendi modus ex repugnantibus, ita firmus & ratus, ut refelli nequeat. Huiusmodi est hoc exemplum, Nõ & dies est, & lux est: Est autem dies: Nõ igitur nox est. Quem autẽ affers nõ est eiusdẽ generis. Equus enim & lapis non sunt repugnantia. Sũt enim ea repugnãtia, quorũ alterutrũ necesse est cõuenire. Non est quòd docea hoc loco triginta duos concludẽdi modos, quos Boetius addidit, ueros esse, & utiles. Aristotelẽ enim defendendũ suscepi, non Boetiũ. Quanquam illud eius causa libenter facerem, nisi longior & minus suauis in eo ponenda esset oratio. Atque hæc quidem satis longa est oratio ad ea quæ tu de primo iudicio quod uocas, disputasti. Nã Aristoteleis duo sunt hæc iudicia. De secundo autem quod uocas, iam satis multa dixi, cum te uiam unam tradendarum artium

falso putare docui. Alij enim treis, alij quatuor posuerunt. Quid autem dicas Aristotelem in primo & secũdo de moribus notatum reliquisse, prorsus ignoro. Certe non eam tenuit docendi uiam, quam unam probas. Tertium iudicium reliquum esse dicis, de quo disputes. Tertium hoc iudicium à Platone Dialecticam appellari dicis: de hoc uerbum ullum feciisse Aristotelem negas. Plato quidem in septimo de Repub. lib. Dialecticam uocat, non iudicium: non igitur uocari iudiciũ à te debuit. Si enim Dialectica illa sola ars est propriè, non iudiciũ magis dicenda fuit quàm inuentio. Quòd si eam uoces iudiciũ, uide, ne quot sunt artiũ genera, totidem iudiciorũ facere cogaris. Cur enim hãc artem iudicij nomine appellabis potius quàm geometriam, quàm astrologiam, quàm musicam? quas eodem libro pueros ante illam uult cognoscere? Nam quod ais, non defuisse qui dicerent Dialecticam eo libro à Platone eam quam metaphysicam uocant, nominatam: id uerum esse existimo. Vt enim Aristoteles in libris de prima philosophia, ei arti id quod est quatenus est, propositum esse dicit, in quo tanquàm in materia uersetur: sic Plato suæ illi Dialecticæ. Verba Platonis hæc sunt, Ego, inquit, non possum aliquam aliam artem existimare, quæ ad rerũ cælestium cognitionem nos attollat, nisi illam, quæ in eo quod est, nec in aspectum cadit, cernitur. Paulò pòst, cũ ex Socrate Glauco quæreret, num hanc uiam & artem Dialecticam uocaret, ille assensus est. Sed hoc mul-

l

to planius facit pagina proxima: Nobis igitur, inquam, nemo repugnabit, si hoc dicamus, artem aliam nullam quid quæque res sit uia & ratione comprehendere ac tradere: sed alias omnes uel in hominum opinionibus, & cupiditatibus uersari, uel in ortu & compositione, uel in cultu eorum quæ oriuntur atque concrescunt. Nã reliquæ quas particulam quandam eius quod est assequi diximus, ut geometria & quæ hanc comitantur, de eo quod uerè est nonnihil somniare illæ quidem uidẽtur: syncerè autẽ & uerè nihil eius cernere poterũt, quãdiu principijs utẽtur: quæ firma defendunt, quòd ea confirmare & defendere non possint. Cũ enim ponitur id quod incognitum est, finis autem & ea quæ ad finem ferunt, eo quod ignoratur, copulantur, quî fieri potest, ut hac tali concessione scientia unquam sequatur? Glauco. Nullo modo. Socrates. At Dialectica sola sublatis concessionibus recta uia ad id quod propositum est pergit, ut id probet, uerèque animi oculum etiam cœno barbarico infectum & contaminatũ, leuiter sursum trahit & ducit, eis quas commemorauimus adiutricibus scientijs. Atque hæc quidem Plato de rebus ijs in quibus uult uersari dialecticam suam. Aristoteles autem in tertio de philosophia libro, dicit etiã cæteras artes in eius quod est parte quadam uersari. Hoc est enim principium eius libri, Est quædam scientia quæ id quod est quatenus est habet propositum, quæque ei per se attribuuntur, nec ulla earum quæ in parte uersan

tur, idem quod illa ualet. Nulla enim reliquarũ id quod est quatenus est tractat omnino, sed quãdam eius particulam sibi sumpserunt, cuius attributa consyderaret. Paulò infrà, in prima substãtia, id est, in deo uersari eam dicit, itaque multis locis eam theologiã nominat. Quæ cum ita sint. si dialectica tertium iudicium nominata est à Platone, ut dicis, dialectica autem & illa, & prima Aristotelis philosophia in eisdẽ rebus uersantur, Aristotelem quicquam de illo tertio iudicio scripsisse negare non debes. Sed quoniam nec de qua dialectica Plato loqueretur, nec quid his libris Aristoteles tradere ret, cognitũ habebas: & hæc temerè scripsisti, & his in libris non theologiam, sed morologiam describi dixisti. Tibine uidetur morologia, cũ tibi aliquid proponas ad disputandum, id primum definire, deinde res omneis in quibus illud uersetur, in certa quædam genera partiri, eáque persequi sigillatim quæ rei propositæ attributa sint, quoad illa patiatur? Cũ enim sapientiam eam de qua diceret artem uocari ab omnibus uideret; eámq; definisset, primarũ causarũ principiorumque scientiã; an uitiosè & (ut uis, stultè) quot essent & quæ causæ in quibus illa uersaretur, disputauit? Fecitne aliud, atque cæteri qui de artibus aliquid scribunt? Rhetores cum artẽ rhetoricam, seu eloquentiam definiunt, esse bene dicendi scientiam: aut grammatici artem suam bene loquendi rectèque scribendi scientiam: quò omnem orationem accommodant, nisi

vt quid sit bene dicere & bene loqui, & quibus in rebus bene dicendi, & bene loquendi, rectéque scribendi ars posita sit, exponant? Hoc facit Aristoteles qui primum quatuor causarum genera ponit: deinde quærit quæ sint causæ rerũ quæ ex alijs concretæ iunctéque sint. in quo ueterũ de hac re sententias exquirit, vt quatenus veræ sunt, eas sequatur: quatenus falsæ, eas improbet & refellat. In secundo, quoniã huic arti quasi finem propositam inuenit veritatem, cuius cognitio nisi ex causis peti non possit, ea causarũ quatuor genera finita esse docet. In tertio, qui secundus est Græcis, quasi in tabula describit ea omnia de quibus eo libro & reliquis est disputaturus. Eum autem ordinem seruat, qui naturæ consentaneus est maximè. Quoniam enim in causis hæc omnis scientia versatur, causæ autem sunt substãtiæ & accidentia, primum de ijs quæ sunt, tum de eorum attributis disserit. Ea quæ sunt, sintne huic arti proposita omnia, Sintne plura naturarum genera, vt naturæ sentientes, Ideæ, res mathematicorum. De sentiẽtibus naturis, de earum partibus, disputat: tum de ijs naturis quæ re ipsa sunt & quæ possunt esse: tũ de naturarũ magnitudine & qualitate, alijsque attributis. Cũmq; hæc scientia theologia diceretur, tandem quærit, sintne res æternæ aliquæ, & sempiternæ. la befactatis Platonis Ideis, de sole, luna, stellis, nonnulla: de deo, quem vult solum principem esse, satis multa dixit. Nunc Rame vt à primis

ordiens ad extremum peruenias, quid in hac disciplina non ipsum sibi constat? Hæc causarum est scientia, causarum sunt quatuor genera: causæ rerum sunt substantiæ, substantiæ æternæ aut sentientes: sentientis naturæ sunt partes, materia, forma: naturis multa sunt attributa, quæ reliquis categorijs continentur. natura vna æterna, vt deus, reperitur. Hæc summa est ratio & sententia horum librorum. Nam quod ais, vocabularij sophistici septem libris thesaurum contineri: an de rebus arduis disputari posse putas, nisi constet quid sit id de quo disputetur? Quanquã vnus est tantummodo liber, in quo verborum ambiguorum, & quæ multis modis dicuntur, continentur definitiones, ne sæpe eas repetere cogeretur. Eum ais duodecimo demum libro ex digressionum naufragijs in portũ se recepisse: quasi uerò non esset ei de naturis earúmq; attributis differendum. Extremo loco exercitationẽ tribus ab Aristotele libris propositam reprehendis. In quo hoc tibi possum verè dicere, septem libris Topicorum eam exercitationẽ contineri. In ijs enim facultatem de quaque re in vtranque partem dicendi & disputãdi tradidit, in quo dominatur exercitatio. Nam in octauo, non exercitatio docetur, sed potius argumẽtationũ tractatio, quod est dispositionis. Quod eius libri principium hoc indicat, Sequitur vt de dispositione & ordine argumentorum interrogandique ratione dicendum esse uideatur. Hic autem vnus liber

Exercitatione

mihi videtur reliquorum in se omnium utilitatē continere. Frustra enim loci vnde argumenta ducantur, inuenientur, nisi quid primo loco, quid secūdo, & quēadmodum in varijs causis quæstionibusque dicas, certum aliquid habeas quod sequare. Hæc omnia ita diligēter præcepit hoc uno libro, vt nihil ab eo quisquā postulare posſit. Cū enim in disputationibus dialecticorum vnus sit qui ponat quæstionem, alter qui eam defendat, ad eámque respondeat, quemadmodū uterque suo munere probe fungatur, exponit. Quemadmodum autem docui, hūc extremum Topicorum librum non magis ad exercitationem, quàm superiores pertinere: sic de libro qui inscriptus est, Sophistarum reprehēsiones, iudicare debemus. In eo enim Sophistarum fraudes & captiones nō solum exponuntur, sed etiam explicantur. quod non magis est exercitationis, quàm rectē & uerè concludendi, quæ in utraq; parte inuentionis & iudicij traditur, scientia. Quanquā hoc de huius libri sententia uerè possum dicere, quemadmodum in septem primis libris Topicorum, uerè aut probabiliter aliquid argumentis cōcludendi ratio explicatur, octauo autem eorum dispositio: ita hoc libro primum uitiosas ex ijsdem locis Sophistarum conclusiones, deinde eiusmodi argumentorum collocationem & explicationem doceri. Quid autem in hoc libro reprehendas, uideamus. Hoc in libro Aristoteles exponit quot quasque res sibi in disputando proponere so-

liti sint Sophistæ. quinque esse tradit, reprehẽsionem, falsum, admirabile, solœcismum, & quintũ nugationem. Reprehẽsioni duo genera tribuit, Alias enim eorum reprehẽsiones in uerbis spectari dicit, alias in rebus. Earum quæ in uerbis spectãtur, sex genera facit, ut homonymiam, ambiguitatem, adiunctionem, distinctionem, accentum, & formam orationis. Earum autem quæ in rebus, septem, vt accidens, cum aliquid omninò aut quadam ex parte dicitur cõuenire: tertium, ignorationẽ reprehensionis: quartũ consequẽtia: quintum eius quod propositum est sumptionẽ: sextum cum causa id quod causa nõ est ponitur: septimum cum rogata plura pro vno ponuntur. In parteis duas omnem tuam accusationẽ video esse distributã. In altera eundem ordinem vitiosarum argumentationũ, quem verarum seruauerat, seruari ab eo oportuisse dicis. In altera tot esse genera quot exponit, negas esse necessaria. Atque illud prius quod obijcis falsum esse hinc perspici potest. Primum non intelligis Rame hoc loco de refutatione sophistarũ ab Aristotele disputari, cuius non possint contraria esse vitia, virtutibus veræ ratiocinationis. Neq; enim ad refutandum etiam uerè aliquid argumenta ex ijsdem locis sumi possunt. Itaque noua eius præcepta Cicero tradit cum in libro de Inuentione, tũ in Partitionibus. Deinde si diligẽter libros de iudicio euoluas, an nõ in quaque forma docebit te Aristoteles quot modis ex propositione & as-

ſumptione nihil poßit effici? In Topicis porrò quoties dicit hoc uel illud argumentum ualere tantum ad confirmandum quid, aut refellendum? Cur ergo, inquies, hoc loco Sophiſtarum enumerat captiones? Quia eas animaduertit & illis uſitatißimas eſſe, & ad omnia fere argumenta quæ ex locis ducũtur, poſſe accommodari. Homonymia enim, ambiguitas, accentus, forma orationis, rei propoſitæ ſumptio, interrogationum coniunctio pro ſimplici, in omnem diſputationem, cæteræ in multas cadere poſſunt. Quãquam in minutis potius rebus omnis Sophiſtarum cõſumitur oratio. Hæc igitur uitioſa argumentorũ genera rectè hoc modo tradita ſunt ab Ariſtotele, quæ omnia una ratione refelli poſſe confirmat, ea quam tu omnino improbas diſtinctione. Venio ad alterum, in quo negas tot eſſe captionũ genera neceſſaria, quot ipſe tradidit. Quinq; enim dicis earum quæ in uerbis ſpectãtur facilè intelligi in ambiguitatis uitio poſſe, cuiuſmodi eſt homonymia, ambiguitas, cõiunctio, diſtinctio, & accẽtus. Si Græcè ἀμφιβολία idem eſt quod ambiguitas latinè, profecto non quinque, ſed ſolum quatuor ad ambiguitatis uitium reuocabuntur, quoniã ad ſe nihil reuocari poteſt. Sed ut dem tibi hæc omnia uno ambiguitatis uitio concludi poſſe, tamen quoniam multa ſunt ambiguorum genera, niſi diſtinguantur, magnam adferent & dubitationem hominibus, & orationi obſcuritatem. Iſto quidem pacto, cum loci diuiduntur in multas

parteis, illa partitio ut minus necessaria ridenda & reijcienda erit, quòd omnes ad eos qui in re insiti sunt, reuocari possint. Et vide quàm te iniquum Aristoteli præbeas. Cum ambigua perspicuitatis gratia distinguit, in eo nimiam curam reprehendis: cum aliquid vt facile prætermitit, eius negligentiam accusas. Quis est adeo numeris omnibus perfectus & absolutus, quem non possis hoc modo reprehendere? Forma etiam orationis ad similitudinem uitiosam reuocabitur. at non omnis potest. cum enim qualitas pro quantitate & multitudine ponitur, iam non similitudinis captiosæ erit locus. Eodem modo respondendum est, cum eas omnes captiones quæ sunt in rebus, ad ignorationem reprehensionis referendas esse dicis, uel Aristotelis sententia. Ex quo perspici licet, id quod paulò antè dixi, Aristotelem solitum esse ea quæ inuoluta sunt, explicare, quæ ambigua distinguere, ne orationis obscuritas cõsequatur. Retexis tamen paulò pòst orationem. Cum enim credendum Aristoteli dicas, affirmanti septem captiones reprehensionis ignoratione contineri, tamen altera pagina, captionem eam qua aliquid ex parte conuenire dicitur quod toti conueniat, aut contrà, ad diuisionem ut partem eius reuocandam esse censes. quod perspicuè falsum est. Cum enim quærit Sophista, sitne albus Aethiops? atq; id negatur. is que iterũ quærit, sitne niger, idque datur, atque ex eo concludit, in eodẽ esse cõtraria: nec ex parte nec ex toto argumentũ ducitur.

Quod eodem modo licet demonstrare in alijs quæ ex eo nascuntur captionibus. Captiones quidem quæ oriuntur ex consequentibus, ad uitiosa argumenta quæ sumuntur ab adiunctis, referri Aristoteles dicit, & cum causa pro causa ponitur, ad causarum locum pertinere concedimus: neque id cõtra Aristotelem ualet. Erat enim ei propositum genera captionum quibus Sophistæ uterentur persequi, in quibus cum hæc duo reperiret ea explicauit. Neque uerò tres hæ captiones, accidentis, multarum interrogationum, ignorationis reprehensionis, facilè possunt, ut uis, ex ratiocinationis præceptis intelligi. Quòd si reprehensionis ignorationẽ ex enunciationum quæ aliquo contrario nomine opponuntur, definitione cognosci posse dixisses, maiorem auctoritatem tua habuisset oratio. Nam ex syllogismi præceptis quî intelligi potest? nisi fortè tot præcepta ratiocinationum tradis, ut complectantur omnia. Quod ut tibi dem, certè non ex eo efficietur, superuacaneũ hunc Aristotelis laborẽ uideri. Cum enim captiones omneis Sophistarum exponendas explicãdásque suscepisset, profectò si quã prætermisisset, institutum suum non fuisset persecutus. Quapropter, Rame, si docui libros eos qui hodie sunt nobis in manibus, Aristotelis esse eius qui Platonem audiuit: si Strabonem & Plutarchum, quos tu solos habere te auctores huius rei dicis, non modo non hoc confirmare, sed ne inter se quidem congruere demonstraui: si Aristotelis differendi rationem & à natura profectam es-

se,& ipsam secum ita cohærere,ut nihil eorum quæ ma nu facta sunt,magis compositum,& coagmẽtatum in ueniri possit,ut si à categorijs ordiẽs, ad reprehensiones Sophistarum peruenias,omnia apta inter seſe, posteriora prioribus conuenire, consequentia superioribus respon dere inuenias,si inquam hæc omnia ita plana feci, ut nõ possis contradicere: iam retexe orationẽ, iam te collige. ad te redi,imò uerò ad bonos te recipe. Hanc disciplinã quæ iam duobus millibus annorum apud omnes gen tes magno in honore fuit,magnóque in precio: quam Ci cero, quam Quintilianus, quam Plinius omnium do ctrinarum artiúmque scientia excelluisse, summis in genijs abundasse testantur: quam denique hæc princeps Academia fere octingentis annis quibus stat, cæteræ que omnes eius exemplo,ita adhuc amauerunt& co luerunt,ut Aristotelis qui illius princeps fuit,libros à sè probatos suis legendos,ediscendósque proposuerint: hãc inquam talem disciplinam opprimere,& uexare desi ne: eam stare,eam florere patere. Eius te alumnum po tius,defensorẽ& amicũ,quàm degenerem, quàm op pugnatorem hostemque præbe. Mihi enim crede, hoc si facias, melius rebus rationibusque tuis consules,me lius dignitati. Etenim si in tua ista sententia perseueres, uereor,ne id quod tam nobili disciplinæ exitium paras, tu tibi ipse parasse uidearę.

PARISIIS,
EXCVDEBAT IOANNES
LODOICVS TILETANVS.
1543

Ioachimi Perio-

NII BENEDICTINI COR-MOERIACENI PRO ARISTOT. In Petrum Ramum Oratio II.

OMNES qui alterius inuenta & præcepta improbant, eísque sua anteponi censent oportere, & pro illis approbari, hæc duo efficere debent: Vnum, ut aliena firmíssimis rationibus refellant, eáque doceant eiusmodi esse, ex quibus maxima detrimenta omnes & publicè & priuatim capiãt: Alterũ, ut ipsi meliora, & commodiora afferre uideantur. Nemo est enim qui alienæ industriæ non extinctorem solum, sed uituperatorem, aut correctorẽ ferat eum, qui nulla ratione, nullísque argumentis doceat, cur decreta sua tenenda & defendenda sint ab omnibus, alterius repudianda. Hæc quidem duo Petrus Ramus profitetur: in quo quantum negocij susceperit, hinc intelligi potest, quòd non cuiusuis, sed Aristotelis summi philosophi philosophiam scriptis extinguẽdam susceperit, ut nouam suam induceret. Itaque nihil mirum est, si ea non præstet quæ profitetur. Nam quemlibet in docendo facile est uincere, eiúsque doctrina refutata, tradere meliorẽ. At magnos uiros omníque

doctrina eruditos si quis uelit superare, hoc difficilius negocium assumit, quòd in eo non solum omnes industriæ neruos intendere debet, uerum etiam singularem sapientiam eruditionémque explicare. Quantus autem uir sit Aristoteles, quantus philosophus, quæ gens est tam barbara & immanis, quæ natio tanta tãque frequens, quæ ignoret? Cum hoc tamen potissimũ Ramus bellum sibi gerẽdum censuit: eius philosophiã literis consignatam & expressam instituit euertere, hancque uiam & rationem instituendæ suæ sibi præclaram honestámque duxit. Quis hoc audito magnum laborem Petrum Ramum suscepisse non intelligat? aut quis est qui nõ magnam eum expectationem putet sustinere? Nihil dicam augendæ rei causa: neminem esse arbitror paulò humaniorem, quin audax & temerarium opus eũ suscepisse, & onus Aetna grauius sustinere fateatur. Ac prius quidẽ eorũ, quæ hoc suo instituto pollicetur, eum nulla ex parte efficere, altera oratione demonstratũ est. Docuimus enim eius reprehẽsiones adeo ridiculas, & infirmas esse, ut nihil profeciſſe uideatur: nisi ut in calumnijs & contumelijs, in quibus ponit omnia, eius similes tantum spei in posterum collocare non possint. Hac autem, eius dialecticam exquirere, & consyderare instituimus. quod ita faciemus, ut Aristotelicæ non solum non anteponenda, sed ne comparanda quidem esse uideatur. Docebo enim eum in quo bene dixit, id omne partim Aristoteli,

partim Ciceroni, partim Quintiliano, partim Boethio, quos præ se contemnit & despicit, furatum. Ea autem in quibus errauit, quæ permulta sunt, eiusmodi esse demõstrabo, quæ in discipulis eius ferri nõ debeãt. Vitiosas enim eius & definitiones & partitiones explicabo. Quò autẽ facilius perspici possint omnia, eũ ordinẽ in refellendo seruabo, quem ille in confirmandis suis stabiliendisque seruauit. Ac primum illud eius principium consyderemus. Dialectica uirtus est disserendi, quod ui nominis intelligitur: διαλέγεσθαι enim, unde dialectica nominatur, & disserere unum idémque ualẽt: idque est disputare, disceptare, atque omnino ratione uti. Paulò infrà, Hoc primum est huius facultatis nomen, postea uerò Logice, eadem tamẽ significatione, dicta est. Bis hac extrema oratione peccauit, & quòd dialecticam primum hanc artem appellatam dicit, deinde logicen, & quòd eandem esse dixit utriusque significationem. Enimuero Rame hoc à te quæro, quis te docuerit, eam philosophiæ partem primum dialecticã, deinde logicen uocatam? An non te oportuit hanc nouam disciplinam instituentem hoc tradere? Nõ inquies. Fundator enim sum huius disciplinæ, mihi statim credendum est, more Pythagoreorum, αὐτὸς ἔφη. Tibíne, quæso, credendum putas, contra Ciceronis sententiam? Cum omnis, inquit, ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inueniẽdi, alteram iudicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem uidetur, Aristoteles fuit.

Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim uias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam dialecticen appellant. Inueniendi uerò artem, quæ Topice dicitur, quæ ad usum potior erat, & naturæ certè ordine prior, totam reliquerunt. Si differendi rationis, dialectica pars est quædam, pars autem toto nõ est antiquior, certè dialectica logicè nõ antecedit. Totũ enim non aliud quàm logicè dicitur, cuius est pars dialectica. Itaque Aristoteles dialecticam in quaque re probabiliter concludenda uersari asseuerat, & tu in altero libro tuo logicen appellari dicis eam partem in qua demonstratio traditur. Ex quo intelligitur, illud alterum perspicuè falsum esse quod ais, eandem esse utriusque uerbi significationem. Nam definitio dialecticæ, quã statuis, uitiosa est, quòd bene differendi, non omnino differendi ratio & uis à te dici debuit. Est enim in Sophista differendi ratio: non etiam bene differendi. δωὰμιν *autem* virtutẽ *dicis. Quod autẽ ais, Cõparatur igitur dialectica, & c. id est apud Ciceronẽ in secũdo libro de oratore, nisi quòd nominibus alijs, ut fures signis res quas surripiunt, notasti. Sed furta tua tibi cõcedo. Quo tandem pacto causas efficientes dialecticæ, eius partes esse posuisti? Quæ est ista ignoratio? quæ inscitia? Causam efficientem effectu priorem esse quis ignorat? Causam efficientem dialecticæ triplicem statuis his uerbis, Comparatur igitur dialectica, sicuti uis artium reliquarũ, natura, doctrina, exercitatione. Has treis causas parteis eiusdem esse dicis paulò infrà, Ita-*

q; de tribus dialecticæ partibus, prima cuius dignitas maxima est, tertiáque cuius secunda laus est, sunt in nobis: altera insita, altera uoluntaria. Hoc cum dicis, hebes in dialecticis uideris. Nemo enim, ne tuus quidem uinitor aut agrestis, cõcedet patrem essem partem filij, quod tu doces tuos. Quin etiam natura est in omnibus, ars non est, nec exercitatio, non sunt igitur hæ dialecticæ partes. Sequitur alius error, sed non leuior. Definis quæstionem hoc modo, Quæstio est oratio, quæ rem dubiam quærit atque interrogat. Non dico ea omnia quæ hoc loco de quæstione disseris, esse tua furta. Sunt enim apud Aristotelem in primo Topicorum. hoc tantum dico, non te oportuisse aliam quæstioni definitionẽ quærere, nisi quam ille statuerit, nisi melius quàm ille definires. Hanc autem tuam non esse ueriorem, hinc primum intelligi licet, quòd dicis quæstionem quærere & interrogare, quod falsum est. homo enim quærit, non quæstio. Sed leuis est hic error. Deinde quòd quæstionẽ rem dubiã ponis quærere, nec definis quibus dubia sit resilla. magnopere enim refert. Ita tua ratione, si duo soli aut pauci de populo homines de aliqua re dubitẽt, id dignum quod quæratur, uidebitur, etiamsi de re ea inter sapiẽtes & reliquam multitudinem nulla sit dissensio. Hoc etiam à te peccatum est, quòd cum de dialecticorum quæstione disputares, quæstionem omnino definisti. Quanto igitur melius & aptius definisses, si ea quam constituit Aristoteles, usus esses definitione? 9

Quæstio, inquit, dialectica, est quæstio, de qua aut neutro modo, aut contrà plerique ac sapientes sentiunt, aut sapientes contrà ac plerique, aut utrique ipsi secum discordant. Si enim hæc Aristo. cum illa tua conferatur, mihi quidem dubium non est, quin hæc perfecta & completa omnibus suis numeris uideri possit: in tua multa necessaria desyderentur. Sed ad alia ueniamus.

Quæstionis, inquis, parteis duæ sunt: altera antecedit, altera consequitur. Illa, minor: hæc, maior appelletur. Hoc ego loco à te iure possum quærere, cur has duas quæstionis partes, maiorem & minorem, quàm suppositum & appositum appellare malueris? In altero enim libro tuo hoc Aristoteli ut probrum obieciſti, quòd ὑποκείμενον, *&* κατηγόρημα, *id est, subiectum & prædicatum potius nominauerit has duas partes, quàm suppositum & appositum, quæ sunt grammaticorum nomina. Si hoc in Aristotelem criminosum esse putas, an non necesse erit te hoc ipsum de te confiteri? Sed ut hoc fronti tuæ demus: quî tandem hæc duo uocabula pro usitatis inducere potuisti? aut cum induceres, cur ea uerba definiendo non explicasti? Hoc certè oportuit te facere, præsertim nouam disciplinam fundantem, ut tui & quod sequerentur haberent, & cur à cæteris discederes, cognoscerent. Quæro enim cur id quod subiectum alij uocant, tu minorem partem: quod illi prædicatum, id tu maiorem partem nomines? Nam si maiorem partem & minorem ob eam causam appellas,*

quòd latius illa fundatur, hæc angustius: in eo uehemẽter erras. Neq; enim hoc fieri potest. In hac enim quæstione, Sitne homo ui ridendi præditus? in cæterisque eius generis, ea pars quæ dicitur, non patet latius, quã altera. Quicquid enim homo est, id ui ridendi præditũ est: uicissimque, quicquid præditum est ui ridendi, homo sit necesse est. Doce hæc eadem ad uerba illa usitata & trita transferri posse, tum in eandem te reprehensionem incurrere concedam. Quod si non potes, quæ tandem tibi causa iusta uisa est, cur uerbis usitatis relictis, noua eáque falsa fingeres? Quàm quæso, præclara habenda est tua hæc disciplina, quæ ex falsis initijs peruenit quò uult? Valde autem mirari soleo tuam insciti am, quam proximus locus coarguet. Verba tua subijciam, ne quid temporis causa afflictum à me quærare. Artificiosa itaque erit inuentio, doctrina inueniẽdi, quo quæstio inueniri exponique possit. quanquam enim inuentio pars est doctrinæ, non tota doctrina, tamen inopia propriorum uerborum alienis, & quod totius est, eo in parte cogimur abuti. Atque hæc tu. Ego autem à te quæro, Rame, putésne alienum & minus proprium uerbum esse generis in forma definienda? Hoc quidem modo non utimur proprijs uerbis cum uim & naturam hominis hac definitione explicamus, Homo est animal rationis particeps mortale. Quod si minus propria uerba sunt, neque hæc, neque ulla propria & uera erit definitio. Omnis enim definitio ge-

nus aut aliquid loco generis complectitur. Quid autem de parte aut forma tam propriè quàm genus dicitur? Cum igitur in parte nos totius nomine abuti inopia uerborum dicis, omnes enunciationes in quibus de parte genus dicitur, tollēdas esse ut minus proprias dicis, quo quid potest esse absurdius? An tu, ut de re proposita dicam, melius & magis propriè inuentionē definiri posse putas, quàm hoc modo? Inuentio est doctrina, siue ratio iuueniendi quo quæstio tractari exponique possit. Nam cum duplex sit diligens disserendi ratio: altera inueniendi, altera iudicandi, in utraque parte definienda, nomen generis adhibēdum est necessario, quemadmodum in singulis artibus definiendis nomen artis adiungitur. Vide quæ te incommoda sequantur.

Rami est nouas etiam Ciceronianis repudiatis, construere definitiones. Cicero argumentum in Topicis definit hoc modo, Itaque licet definire locum esse argumenti sedem: argumētum autem, rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. Ramus autem hoc homo, Est autem id quo quæstio tractatur atque exponitur, argumentum nominatum, quòd arguat, id est, probet rem ac demonstret. Vtrius uerior uidetur definitio? Mihi quidem illa Ciceronis uerior & aptior uidetur. Nam Ramus sua rem omnem perturbauit & obscurauit. Vult enim argumentum esse quæstionis explicationem, quod primum multo est quàm id quod definitur, obscurius. Deinde argumentum argumentationémque confundit. Est e-

nim argumentatio, argumenti explicatio. Ita argumentatio, quæstionis etiã explicatio & tractatio est. præsertim cũ omnis argumentatio ex multis partibus constet, quarũ una sit argumentũ, altera quæstio interdũ, id est id quod quæritur. Cur autem argumentum ab arguendo uerbo in hac re barbaro (neque enim à poetis latina uerba oratores debent petere) potius quàm ab argumẽtando usitato dictum putat? præsertim cum argumentationis uerbum ab eo ductum esse negare non possit. Nescio, nisi fortè ab omnium sententijs constituit in hoc libro discedere, ut noua omnino hæc disciplina uideatur, quæ cum nulla consentiat. Nunc sequitur, ut nouã locorum & argumentorum diuisionem, quam primus excogitauit, consyderemus. Hoc enim unum est in quo gloriatur maximè. Ait enim Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum, cæteróque omnes qui de argumẽtis aliquid scripserunt, hunc de argumentis locum multitudine infinita locorum obscurasse & confudisse, quos ipse in decem & quatuor concluserit ac reuocauerit uniuersos. Sed uerba eius subijci est melius. Quamobrem, inquit, è quæstionis extremis, argumẽtorum species duplices eruentur. principes aliæ, aliæ à principibus ortæ. Primi generis partes quinque sunt, causæ, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea: secundi nouem, genus, species, nomen, notatio, coniugata, testimonia, comparata, diuisio, definitio. Atque hæc quidem præclara est illa quam iste inuenit, argumentorum distributio. Quam

autem cæteri partitionem fecerint, uideamus, ut eósne iste uel facilitate, uel doctrina, uel eloquentia uicerit, intelligatur. Arist. quidem tantum omnes fere qui hæc tractauerunt, tribuerũt, ut quemadmodum etiã Quintilianus scribit, eam quam primus tradidit, tenuerint diuisionem. Ea autem in primo de arte rhetorica libro explicata est hoc modo, Probationes autem aliæ artis sunt expertes, aliæ arte tractantur. Expertes artis uoco eas, quæ non nostra industria suppeditantur, sed antè à causa ad nos deferuntur, ut testes, ut quæstiones, ut syngraphæ. Arte autem tractantur eæ, quæ à nobis uia & ratione pariuntur. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inueniendis cogitandum est. Itaque Cicero & in II. de Oratore libro, & in Partitionibus, & in Topicis hanc eius diuisionem non solum probauit, sed etiam tradidit. In secundo de Oratore, hoc modo, Quid enim est, in quo hæreat, qui uiderit omne quod sumatur in oratione aut ad probandum aut ad refellendum, aut ex sua sumi ui atque natura, aut assumi foris? Ex sua ui, cũ aut res quæ sit tota quæratur, aut pars eius, aut uocabulum quod habeat aut quippiam quod illam rem attingat: extrinsecus autem, cum ea quæ sunt foris, neque inhærent in rei natura, colliguntur. Si res tota quæritur, definitione uniuersa uis explicanda est. Paulò pòst, Sin pars, partitione. Paulò pòst, Sin ex uocabulo, ut Carbo, Si consul est qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? Sin ab

eo quod rẽ attingat, plures sunt argumentorũ se des ac loci. Nã & coniũcta quærimus, & genera, & partes generibus subiectas, & similitudines & dissimilitudines, & contraria, & consequentia, & cõsentanea, & quasi præcurrentia, & repugnãtia, & causas rerũ uestigabimus, & ea quæ ex causis orta sunt, & maiora, paria, minora quæremus. In Partitionib. autẽ hoc mõ, Quibus rebus fides fit? C.P. Argumentis, quæ ducuntur ex locis aut in re ipsa insitis, aut assumptis. Paulò infrà. C.F. Quomodo igitur ista genera diuidis? C.P. Quæ sine arte parantur, ea remota appello, ut testimonia. C.F. Quid insita? C.P. Quæ inhærẽt in ipsa re. Paulò pòst. C.F. Quæ sunt quæ dicis insita? C.P. Quæ infixa sunt rebus ipsis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus quæ quodam modo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Et ad id totum de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi. Ex ijs autem rebus quæ quodammodo affectæ ad id de quo quæritur, alia cõiugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectibus, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. In Topicis quoniam ijsdem uerbis hanc partitionem complexus est, non est quod eius uerba proferam. Quintilianus etiam hanc tenuit distributionem. cuius uerba

non necesse habeo subijcere, quoniam sunt in promptu. Conferamus hanc communem cæterorum diuisionem, cum hac Rami propria. Cedo quid uitij in ea Rame, reperisti, ut non sine causa nouam hanc excogitasse uideare. Non ignoro libera hominum esse & studia & iudicia: scio concessum esse cuique artem quo uelit modo tradere: neque hoc in te reprehenderem, si intra fines modestiæ te ipsum continens, in alios minimè inuasisses. Nunc cum bellum indixisse uidearis omnibus, quàm rectè id facias, aut potius feceris, uidendum est. Dic cur hac communi diuisione prætermissa, nouam iueneris. Quòd est falsa aut uitiosa? doce. Quòd prolixior? at non multò certè est quàm tua. Quid? si uitiosam tuam multis modis doceam, satisne erit argumenti, cur tibi nemo assentiri debeat? Vitiosum diuisionis genus est cum bis aliquid dicitur. Argumentorũ principalium quinque facis genera, causas, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea. Adiuncta uocas res quæ extrinsecus sine necessitate in subiectum cadunt. Causæ & effecta in adiunctis, si uera est hæc definitio, intelligẽtur. Cum enim rei de qua quæritur causæ sint quæ non necessario eam efficiant, & eiusdem effecta non sint necessaria omnia: profectò illæ causæ, illique effectus rei propositæ non necessario conuenient. Vt si quæratur, an natura efficiat dialecticum? an uirtus beatam uitam? an congressio sit causa amoris? & contrà, Sitne amor congressionis effectus? Sitne beata uita uir-

tutis effectus? Sitne effectus naturæ dialectica? Ex ijs enim necessaria conclusio non sequitur. Ita pars aliqua adiunctorum in causis continetur. Ex quo perspicuum est, tuam istam diuisionem in eodem esse genere, quo hæc est, Animalia quædam sunt homines, quædam bruta, quædam equi. Iam hoc à te quæri potest, cur potius adiunctis, & dissentaneis principem locum deberis, quàm generi, quàm formæ, & definitioni, præsertim cum adiuncta non necessario ei quod quæritur conueniant, & dissentanea pleraque nunquam conueniant: genus autem, forma, & definitio semper ac necessario in re hæreant. Hæc quidem quinque prima genera ex eo te uideo principalia uocare, quòd reliqua nouem ex illis oriantur. Si hæc tibi satis idonea causa uidetur, cur primum locum illis quinque tribuas, hoc modo soli causarum loco primus locus tribuēdus erit. Ex causis enim reliqua omnia ortū habent. Quāquā, ut rē diligētius exquiramus, falso reliqua ex primis quinq; ortū habere posuisti. Genus uis ex causis oriri. hoc falsū est. Causa dialecticæ natura est, doctrina & exercitatio: quæ harū generis nomē ei dabit? Inscitè etiā formæ causam effectū esse dixisti. Cū dicis formæ causam effectū, formā rei propositæ te intelligere arbitror. Si quæratur, an iustitia impellat hominē ad suum cuiq; tribuē dū? Suū cuiq; tribuere effectus est iustitiæ. Ita iustitia quæ uirtutis est species, effectus illius causa est: nō cōtrà

effectus causæ suæ causa & origo, quod fieri nō potest. Quod multo planius dici potest hoc modo, Dialectica ars est quædam, quæ efficit dialecticum. Vt enim sapientia sapientes per se efficit, & uirtus bonos: sic dialectica dialecticos efficit. Ita dialectica species est artis, dialecticus autem eius effectus. Sit igitur dialectica necesse est, antè quàm ex arte illa dialecticus quis nominetur. Ex quo perspicuum est, non effectum causam esse cur species sit: sed contrà, speciem potius effectus esse causam. Quod etiam hoc pacto cōcludi licet, Si omnis effectus est in rebus singulis, speciésque omnis in rebus uniuersis: res autem uniuersa prior est & antiquior rebus singulis: profectò speciei effectus qui est in rebus singulis, causa esse nullo modo potest. Quis enim à Socrate hominum genus nominatum dicet, non potius ab hominum genere Socratem? Iam uero si quispiam rogatus fuerit, cur Socrates sit homo, recte respondebit, quia est animal rationis particeps. Atqui illa est speciei definitio: definitio autem uim naturāque rei explicat. At si rogetur, cur homo sit species, non aptè respondeat, quia sit Socrates aut aliquis alius hominum singulorum. Ex quo efficitur, ab effectu speciem non oriri. Hæc autē ponis his uerbis, Hi sunt humanæ sapientiæ primarij fontes, causæ & effecta, subiecta & adiuncta, dissentanea: unde oriuntur nouem sequentia, genus ex causis, species ex effectis. Iam satis demonstratum est, non solum uitio-

ſam eſſe hanc quã tradis, argumentorum diuiſionem: ſed duo etiam prima eorum genera falſò à te uocata eſſe principalia, & orta à principalibus. Nunc docebo eum ordinẽ uitioſum eſſe quem tradidiſti. Cauſas primo nominas, deinde effecta, tum ſubiecta. Hunc ordinem præpoſterũ eſſe hinc intelligi poteſt, tua etiã confeſſione, quòd de re nulla diſſeri recte poteſt, niſi ea quid ſit intelligatur. Non igitur à cauſis ordiendũ tibi fuit, ſed potius à toto, ad quod adhibetur tũ definitio, tum enumeratio, tũ uerbi notatio. Ita definitionẽ & diuiſionem, quibus uix extremum locum, poſt teſtimonia dediſti, in primis numerare debuiſti. Quid autem neceſſe fuit locum diſtinctum dari ei argumento quod à nomine ducitur, cum ſatis in notatione potuerit intelligi? Si cauſas ob eam cauſam primo loco exponendas putaſti, quòd rei præcurrant & antecedãt: cur non omnia eiuſdem generis, vt ſunt oracula, eodẽ loco explicaſti? Cur tu qui alijs confuſionẽ & perturbationem obijcis, perturbationem locorum perſpicuitatis ſpecie inducis? Diſſentaneorũ loco repugnantia, cõtrariorũ genera quatuor, & diſparata cõplecteris. teſtimonijs omnia comprehendis, quæ cæteri in ſecundo locorum genere ponunt. Quid autẽ ſimilitudo, differentia, antecedentia, conſequentia tam male de te merita erant, ut à te excluderentur? Si in comparationis loco ſimilitudinẽ & diſſimilitudinem à te tractari dicas: quæ ſunt & natura ſua, & aliorũ iudi-

cio distincta,ea debuisti distinguere. Plus enim inter similitudinẽ,differentiam & comparationẽ interest, quàm inter nomen & notationem,quæ distinctè explicasti. Aut igitur illa tibi distinguenda fuerunt, aut hæc coniungenda. Plus autem interesse inter similitudinem,differentiam,& comparationem, quàm inter nomen & notationem hinc primũ sciri potest, quòd illa tria sunt,hæc duo:deinde quòd illis tres locos cæteri,his autem plerique vnum,pauci duos dederunt. Atque hæc quidem coniunctè tradidisti. Cõsequẽtia autem & antecedentia nec distinctè, nec coniunctè explicasti. Quæ cum à cæteris exposita & tractata sint,à te omnino prætermissa:ex eo uitiosa etiam tua diuisio esse concluditur. Sed locos sigillatim cõsyderemus. Causas tu vt primum numeras, sic eis primũ tribuisti locum in tractatione. Hũc autem locum exponẽs cum omnia vel à Ciceronis Topicis & Partitionibus,vel ab Aristotelis secundo de natura libro sumpseris,minus tu quidem errasti:sed in vitiũ quod obijcis alteri, incidisti. Neutrum enim toto illo sermone nominas,cum quodam loco dicas turpe esse, nõ eos per quos profeceris,nominare. Secũdus locus est ex effectis,de quo perpauca dicis,& in ijs paucis totam hanc Ciceronis ex Topicis sumpsisti orationem, Hic locus suppeditare solet oratoribus & poetis,sæpe etiam philosophis, sed ijs,qui ornatè & copiosè loqui possunt,mirabilẽ copiam dicendi, cum denun-

ciant quid ex quaque re sit futurum, nisi quòd pauca verba, vt solent fures rerũ quas furantur, signa, mutasti. Quid dicam de eo genere argumentorum, quod a subiectis nominas? Subiecta enim appellas, nec eius argumenti tractationem explicas. Hæc enim solum scribis, Subiecta, adiuncta quæ sequuntur. Subiectum itaque res est suis causis constituta. Subiectum uocas quod Græci ὑποκείμενον nominant, quod nemo unquam in locis argumentis ue numerauit. Nam quod tu subiectum appellas, Latini totum vocant. Ita verbo solus inusitato & barbaro, quàm trito & Latino vti maluisti. Sequũtur adiuncta, quibus vitiosam inueneris definitionem. Ea enim definis hoc modo, Adiuncta sunt res quæ subiecto sine necessitate extrinsecus adueniunt. quam uitiosam esse tu te dicis. Nam hæc ponis exempla, Vt hominis adiuncta sunt, alia in animo, vt naturalis quædam facultas ad liberalitatem, fortitudinem, temperantiam, vel contraria. Quis est enim qui non intelligat his tuis verbis eam quam adiunctis statuisti, euerti definitionẽ? Si enim in adiunctis hominis est, vt vis, naturalis vis ad liberalitatẽ: quod autẽ naturale est, id omne rei per se cõuenit, nõ fortuito et extrinsecus accidit: profectò ad aliã rẽ id quod definitur, ad aliã, definitionẽ accõmodas. Naturalis enim uis ad liberalitatem, definitione tua non continetur, & re quæ definita est, tua sentẽtia cõtinetur: quo quid potest esse absurdius? Quis unquam

præter unum te negauit, definitionis & rei quæ definitur eam esse naturam, ut alterum alteri consequatur, uicissimque retro cõmeet? Sic tibi ab omniũ sententia discedere placet, ut res tam absurdas cogare cõcedere? Sed in reliquis meliora & ueriora tradidit. Imò uerò semper sui similis est. aut enim perturbat omnia, aut uitiosè & malè definit, aut noua uocabula construit. Nam proximo uno loco tres qui à cæteris distinctè traduntur, complectitur. Dissentanea enim appellat, quibus contraria, repugnantia, & disparata subijcit. De quibus antè quam dico, nouum loquẽdi genus quo utitur, exponam. Sæpe enim dicit, Principia argumenta, principum argumentorum, principibus argumẽtis. Quis unquam sic locutus est? Sed hoc eidandum est. Vt enim nouas artes inducit, sic noua præcepta dicendi. Multa eiusdem generis commemorare & altera oratione potui, & hac possum: sed quoniam institui res, non uerba reprehendere, hoc ero contẽtus. Quapropter ad dissentanea reuertamur. In dissẽtaneis cõtraria numerat: quæ cũ quadripartitò distribuit, omnia à Cicerone, nulla eius facta mentione, mutuatur. Hoc tamen absurdè tradidit, hominem & belluam esse in ijs contrarijs quæ aduersa Cicero nominet. Ita natura corporis expers, et corporata erunt in contrarijs: isto pacto deus et angelus erunt homini contrarij. quo quid alienius à pietate dici potest? Nullæ sunt, Rame, naturæ inter se contrariæ. hoc

te Aristoteles, nisi ab eo desciuisses, docere potuisset. Nam simplices naturæ, ut ignis & aqua, nõ propriè contrariæ sunt, sed eæ quibus affectæ sunt, qualitates. Quod autem ad repugnantium locum attinet, eorum à te uitiosè tradita hæc definitio est, Repugnantia dissentanea sunt, quæ de eodem simul affirmari nõ possunt, & nulla certa lege, nulloque certo numero dissident, ut homini repugnat lapis. Hæc enim ad contraria trãsferri potest. Hoc etiã falsum est quod addis, & nulla certa lege &c. Aliqua enim eorũ quæ repugnant, certa lege dissidẽt. Natura enim, quæ certa lex est, dies & nox repugnãt, & homo & lapis si modo repugnãt. Nam in altero libro tuo hos negas repugnare. Tractata enim hac argumentatione,

Non & equus homo est & lapis,
Sed non est homo, ergo lapis.

Hoc dicis, Scio quid hic dici soleat, propositionẽ ex repugnantibus rebus fieri oportere. Ita cõcedis equũ, hominem, & lapidem non repugnare. Quinetiam disparatorum ✓itiosè à te tradita est definitio. Ais enim disparata dissentaneorũ minima esse, quòd eidem possint simul conuenire, sed ratione tamen differant: ✓t homo et Gallus ✓el Italus. Quæ si ✓era est definitio, attributa omnia, & prima categoria, id est, substantia, disparata sint necesse est. Nam ei quod est conuenire possunt omnia, ✓t homini ✓irtus, ✓itium: malum, bonum: in loco esse, facere, pati, habere: &

hæc ratione & cogitatione differunt. Quemadmodũ enim dialecticum, & mathematicum inter se cogitatione distingui dicis: sic homo & homo bonus, malus, magnus, paruus, stans, sedens, ambulans, sola cogitatione differunt. Ita vno disparatorũ nomine penè omnia complecteris. Quis autem auctor probatus sic vnquam disparata definiendo explicauit? Cicero quidem in primo de Inuentione libro longe aliter definit his verbis, Disparatum autem est id quod ab aliqua re per oppositionẽ negationis separatur, hoc modo, sapere & non sapere. Vides Ciceronem ea uocare disparata, quæ in Topicis negantia nominat. Quòd si illius definitiones probandæ sunt magis quàm tuæ, vel bis eandem in diuisione partem posuisse, vel arroganter & temerè ab eo dissensisse te fateare necesse est. Alterutrum enim eorum tibi eligẽdum est. Scio vtrum malis eligere. Magis enim vel constantiæ cau sa decreta tua defendes, etiam contra omnium sentẽtiam, quàm temeritatis crimen agnosces. Quod vt facias, tamen superiora incommoda te suscipere oportebit. Atqui quæ tu argumenta à disparatis trahi uelis, ignoro. Cum enim hominem & Gallum in disparatis ponas, non potes argumẽtum ducere hoc modo, Homo est, Gallus igitur est: neque hoc modo, Homo est, Gallus igitur non est. Ita si quod argumentũ sumi possit, eius talis erit tractatio, Homo est, Gallus igitur est, vel Italus, vel Germanus, vel aliquis a-

lius: aut contrà, Gallus est, Homo igitur. Italus est, homo igitur est etiam. Atqui prius argumentum ab enumeratione, posterius ex specie sumitur. Ita ad illa duo hæc tua disparata reuocanda sunt. Quoniam satis demonstratum esse arbitror, quinque argumenta quæ in partitione Ramusiana primas tenent, vitiosa esse, & vitiosè tradita atque definita: nũc de reliquis nouem dicendum est. Genus quidem definit hoc modo, Genus est communis appellatio, quæ de pluribus rebus interroganti quid est, respondetur, vt hominis animal. dialecticci, artifex. atque etiã homo Platonis. dialecticus, huius dialectici. Speciem autem hoc modo, Species est res ea de qua genus ita respondetur. ut hominis, Plato: dialectici, hic dialecticus. nihil enim interest, species cõmunis an propria sit appellatio. genus enim speciesque totius & partis ratione, non cõmunis vel propriæ significationis qualitate distinguũtur. Atque hæc quidem Ramus. Ego autem quid primum in his paucis verbis reprehendam nescio. Dicã ne eum inconstantiæ & perturbationis crimen effugere non posse? qui genus notionem, speciem rem esse definiat? an vitiosè hæc duo & contra omnium definire sententiam? an res singulas in formarum, & formas in generum numero inscitè reponere? Genus appellationem communẽ esse dicit, quæ de pluribus rebus dicatur in naturæ quæstione. Ac ne dubitaremus quænam essent illæ res, numeróne an specie differrẽt,

exemplis omnẽ ſuſtulit dubitationẽ. Dicit enim Platonis eſſe hominẽ genus. Quis te docuit Rame, ſic genus et ſpeciẽ definiẽdo aperire? An Ariſtoteles? aut Porphyrius. Quid tu mihi homines imperitos definiendi nominas? At oẽs qui hos conſecuti ſunt, aliter ac tu definierunt. Ariſtoteleos genus Arcadũ mihi opponis. An tu etiam Platonicos faſtidies atque contẽnes? Quos tu, inquies, Platonicos mihi ſignificas? Ciceronẽ inquam. qui cum tantum Platoni tribuerit, quantum nemini, aliter ac tu, ex illius ſententia hæc explicauit. Genus enim vult dici de ſpecie differẽtibus: quinetiã eos reprehẽdit, qui, vt tu, formas ad res ſingulas trãſferunt. Genus enim in. 1. de oratore definit his uerbis Genus autẽ id eſt, quod ſui ſimiles cõmunione quadam, ſpecie autem differentes duas aut plures cõplectitur partes. Tẽne idoneum eſſe putas, cui Cicerone innumerabilibusque alijs relictis, habeatur fides? Cicero genus multas parteis ſpecie differenteis cõplecti dicit oportere: Ramus contra Ciceronẽ dicet, contráq; ſummorum philoſophorum auctoritatem et ſententiam in multis ſpecie differentibus genus intelligendum negabit? Quàm quæſo grauis futura eſt hæc tua diſcipliua, quàm præclara, quæ à tã leuibus et falſis fundamentis ad tã vanũ & futile faſtigiũ a te excitatur? Cur quemadmodum genus appellationem & notionem eſſe definieras, ſic formam notionem definitione declaraſti? præſertim cum eũdem Ciceronem

vtriusque auctorē haberes. Sic enim in Topicis, Genus, inquit, & formam definiunt hoc modo, Genus est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio, cuius differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. Notionem appello quod Græci τῦ ἐννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita & antè percepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens. Hæc ille. Vtrunque enim aut ad verba, aut ad res referre debuisti. Ergo hoc iam apparet, genus in multis quæ specie differant, dici cōuenire. In formarum etiam numero tantum ea habenda esse, quæ in multis intelligātur, idem auctor in Topicis tradit his uerbis, Formæ igitur sunt eæ, in quas genus sine ullius prætermißione diuiditur. vt si quis ius in legem, morem, æquitatem diuidat. Paulò infrà, Formarū enim certus est numerus, quæ cuiq; generi subijciātur. Tu verò Rame à Cicerone discedis. Vis enim formas et species ea quoque esse, quæ omnes indiuidua nominant. Ita vno generis nomine id quod Cicero vocat genus & formam siue speciem complecteris. quod cum facis, omnes tollis generum in suas formas diuisiones. In diuisione enim uitiosum est vnam formam prætermittere, quod semper tibi vsueniet, quippe qui genera in eiusmodi formas diuidas, quarum est numerus & infinitus & incertus. Quod autem dicis, Genus autem ex causarum loco esse intelliges, si res in eo comprehensas explicabis: vt in animali corpo-

rata ſubſtantia eſt, quæ materiam ſignificat hominis, tum viuens ſentiensque quæ ad formã hominis pertinent: id certè non magis eſt generis, quàm formæ et indiuiduorum propriũ. Nam & in homine quæ ſpecies eſt, et in Socrate, natura corporata primum, deinde ſentiens, & rationis particeps continẽtur. Ita non magis ex cauſis genus, quàm forma & indiuiduum id quod minimè vis, orietur. Quo modo etiam refelli poteſt id quod de formis cõmemoras, Quòd ſi genus ſpeciei cauſas habet, ſpecies certè generis obtinet effectum: ita illud ex cauſis, hæc ex effectis erit. Si enim tua ratione, genus non eſt, niſi appellatio quædam, et vt ait Cicero, notio: quo tandẽ modo ſpecies quæ res à te definitur, à genere effici poteſt? Differentia eſt, Rame, quæ formam efficit, non genus. Obtinet enim genus locum materiæ, formæ autem differẽtia. Animali enim rationis particeps adiuncta differentia, nouam hominum formam ſpeciémque efficit. Ita ſpecies differentiæ potius effectus eſt, quàm generis. Speciem autem ex effectis oriri non poſſe, ſed contrà, effectus ex ſpecie demonſtraui. Miror te huius præclaræ diſciplinæ auctorem & principem, in argumentorum ſedibus & locis explicandis, nullius loci aut argumenti docere tractationem. Hoc certè in principe uitioſum eſt. Hoc Ariſtoteles, hoc Cicero, hoc Quintilianus facit. De generis & formæ locis hoc tãtum admones, Generis ſpeciéique ut firma ſtabiliſque ratio,

illius ad refellendam ſpeciem, huius ad probandum genus: ita rara admodum eſt. In quo hoc primum reprehendo, quòd exemplo nullo rem declaraſti, deinde quòd rara admodum ex genere ac ſpecie trahi argumenta poſuiſti. Quid enim crebrum eorum uſum prohibet? An quòd firma ſunt? At hoc pacto locus definitionis, enumerationis partium, cauſarũ certè efficientium, earúmque effectorum, antecedentium, conſequẽtium, aliíque permulti raro in cauſas & diſputationes incident. Sunt enim non minus firma quæ ex illis ſumũtur argumenta, quàm illa. Lege exempla quæ in Topicis & in ſecundo de Oratore libro à Cicerone ponũtur, tum uſum eorum crebrum non negabis. De argumentis quæ ex uerbo & notatione uerbi eliciuntur, quæ tu diſtinguis, perpauca dicis, nec eorum uſum exponis. In ijs autem quæ nihil ad rem pertinent, multus aut nimius potius es. Quid enim attinebat eo loco ſtatuere dialectici græcũ uerbũ, quàm hominis latinũ ſapientius impoſitum uideri? Cur homo ab humo potius quàm ab humanitate qua cætera uincit animantia, dicatur? Si à nomine quemadmodum liceret argumentũ ſumere docuiſſes, ut non mirum eſſe ſi Verres Siciliã diripuerit: Verrem enim à uerrendo eſſe dictum: tum tuo munere functus eſſes. Nunc cum hæc tractes quæ nullo modo in re inhærent, quem te eſſe dicemus? Quã autem breuiter hoc tradidiſti? Ex quo autem fonte ſit nomen, notatio ipſa indicabit. Quo tandem modo indi-

cãre posit, ne uerbum quidem. Ex quo autem fonte haurienda sit notatio, tantundem præcipit. Vult his uerbis nominis argumentum ex notatione intelligi, à quo principali argumento ortum habeat. Quod quàm sit obscurũ, omnes intelligere arbitror. Hoc quod tacuit, nõ possum refellere. Itaque taciturnitatis suæ fructum feret. Coniugata sequuntur, quorum definitionem à Cicerone, alia ab Aristotele mutuatus est. quæ eius furta non indicarem tam sæpe, nisi eorum contemneret auctoritatem, quibus si sua redderet, nudus & implumis, quasi Æsopica cornix, uideretur. Hunc autem locum uult ex subiectis suis & adiunctis oriri, cum sit particula quædam adiunctorum. Sapiens enim & sapienter quæ sunt coniugata, hominis adiuncta sunt. Ita non erat cur ea ab adiunctis sic separaret, ut adiunctis principatum daret, pene ultimum locum coniugatis. Quod eodem modo de testimonijs iudicandum est. Est enim quædam adiunctorum particula testimonium: sed ciusmodi, quæ prima sit habenda. Nihil est enim tam proprium hominis quàm oratio. Cur ergo à primo loco pene in pistrinum amandauit? Quî autem fieri potest quin hæc duo repugnent, subiecta à causis ortum habere, & testimonia ex subiectis esse: cùm eius confessione, testimonijs ut partes subiecta sint, & deus qui à nulla causa ortum habet, subiectum esse non possit? Confundit deinceps tres locos cæterorum. Similitudinem enim & dissimilitudinem siue differentiam sub-

iecit cõparationis loco. In quo illud primum ab eo quæro, cur nominis & notationis, quæ finitima sunt & facillima argumẽta, distinxerit, coniunxerit autem hæc tria, quæ præsertim omnes separauerint? Quia nõ fuisset optime instituta disciplina, nisi & coniuncta ab alijs distinxisset, & distincta copulasset: id est, quæ alij pru denter construxissent, male dissipasset: & quæ sapien ter illi explicandæ rei causa diuelliſſent, ipse inscitè co-agmentasset. At præclarè hunc tractauit locum. Imò uerò imperite & inscienter. Verba eius subijciam, quò facilius coargui possit. Cõparata, inquit, sunt ea quæ inter se conferuntur, idque modo duplici. collatio enim aut est qualitatis, aut quantitatis. qualitas est habitus comparatarum rerũ. quantitas uis & potestas quædã. Quantitatem autem ad eũ locum refert, qui solus cõparationis à Cicerone, Quintiliano, & Aristot. dicitur. Cicero in comparatione non solum vim spectari dicit, vt vult iste, sed alia permulta. In Topicis enim scribit his verbis, Comparãtur igitur ea, quæ aut maiora aut minora, aut paria dicũtur: in quibus spectãtur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. An verò sola quantitas spectatur in maioris, minoris, et paris cõparatione? & in similitudine sola qualitas? Si quantitas in illo genere exquiritur, & quæcunque argumenta in eo tractãtur, in illo etiam tractari possunt, adiecto aduerbio similitudinis: cur non illic quoque quantitatis ratio ha-

bebitur? Si quãtitas est vis quædam & potestas, quæ vis illa esset exponendũ fuit. Quæ enim trita sunt vocabula, eis quam ad rem vult abutitur. Quãtitas rei à doctis in dimensionibus & numeris intelligitur: quantitas in vi & potestate non solet intelligi. Ita definienda hæc fuerunt. Hoc loco mirari soleo, nihil Ramum à Topicis Ciceronis, aut Aristotelis in libriũ suum transtulisse. Itaque ieiunè ab eo et angustè hic locus tractatus est, qui ab illis tractatus est copiosissimè. Sequitur diuisionis locus, in quo tractando eũ se gessit Ramus, vt iure possim de illo dicere, quod Cicero de Stoicis dicit. Vt enim reliqui fures earum rerum quas ceperunt, signa commutant: sic Ramus vt nostrorum sententijs pro suis vteretur, nomina tanquam rerum notas mutauit. Eorum enim omnium quæ cum superioribus locis, tum hoc quem consyderamus, Ciceronis Boethijque sententia est: tãtũ nomina mutauit, vt ipsius furta nos laterent. Ponit quatuor diuisionis genera, primum ex causis totius in partes. secũdum ex effectis, tertium subiecti in adiuncta, extremũ adiuncti in subiecta. quæ omnia Boethius in lib. de Diuisionibus à quo ea sumpsit, diligẽtissimè scientissimeque complexus est. tantum in secundo & tertio genere nomina mutauit. Nam Boethius prius eorũ diuisionis genus vocat totius in materiam & formam: posterius subiecti in accidentia. Quòd si verba eius aut alia quæ idem declararent,

diuisio

vsurpasset, minus aberrasset. Nũc cum hæc quatuor genera à suis illis sterilibus & aridis fontibus quasi riuos vult deducere, nouis nominibus commutat omnia. Nam primum illud genus quod vocat ex causis, non recte ita vocari, supra demonstratũ est. Neq; enim genera causæ sunt, vt vult, formarum, sed ipsa solum materiæ, differentiæ autem formæ locum obtinent. Quod autem ad secundum genus attinet, quod vocat ex effectis, id vitiosè traditum est. Est enim totius in materiam & formam. & certe hominem dicere effectum esse corporis & animi, inusitatum est. Quod autem dicit in hoc genere, dialectici tres esse partes, naturam, artem, exercitationem, quæ etiã causæ sint, in eo non omnino verum dicit. Eas enim causas esse, uerum est: partes autem esse, falsum. Nã cùm sint illæ tres causæ dialecticæ efficientes, causa autem efficiens (tuentem autem excipio) nulla effectus sui pars esse possit: profectò natura, doctrina, & exercitatio, quæ dialecticæ causæ sunt efficientes, eius partes esse nullo modo possũt. Quî enim fieri potest, ut quod aliud efficiat, id pars illius habeatur? Isto modo pater, vt antè dixi, erit pars filij, & architectus domus. In tertio autem diuisionis genere hoc vitiosum est, primum, quòd adiuncta vocauit quæ alij accidẽtia, Cicero attributa: deinde illud, quòd adiũcta partes subiecti esse dixit. Quis enim vnquam dixit, aut concedet nigrorem & candorem hominis esse par-

tes? An quisquam aliquas vnquã partes posuit, præter eas quæ integrales, subiectiuæ, potentialesque dicũtur? quarum cum in nullis sint accidentia & adiuncta, partes subiecti esse non possunt. Sed quid in eo refellendo tantum operæ pono, cum ipse se refellat? Scribit enim his ferè verbis, loquens de duobus extremis generibus diuisionis, Reliqua genera nec totũ, nec partes veras habent, sed ex adiunctione quadã. totum enim à partibus, & partes à toto illic separari possunt, quod à totius & partium natura est alienum. Si partes non sunt, Rame, adiũcta tua subiectorum, cur esse posuisti? Si posuisti esse, cur tam cito ipse te refellis? Quanquã hoc posterius non est tam in vitio. Maximè enim vellem, vt in quibus stultè lapsus es, siue tuis tradendis, siue alienis reprehendendis, ea tam sapiẽter corrigeres, quàm hæc quæ à te correcta cernimus. Extremus locus definitioni tributus est, rei maximè necessariæ: quod ei certè turpe est, qui in omni disputatione primum á definitione rei propositæ capi velit exordium. Si enim de re nulla rectè disputari potest, nisi quid illa sit intelligatur, quæ, malum, ratio est, ei in locis extremum dare, quod in primis debet consistere? Sed de eius loci tractatione quid præceperit, operæprecium est cognoscere. Definitionem ijsdem verbis, quibus Cicero, definit. Si hæc à Cicerone nulla eius mentione facta, sumpsit, cur non definiendi quoque genera est ab eo mu-

tuatus? quia furta sua deprehendi posse intelligebat. An non ei vsuuenit quod pertimescebat ne eueniret, cum interea hoc quod debuit minimè perfecerit? Cur enim diuisionum genera ab eo traduntur, non traduntur definitionum? At definitionum nouã eámque duplicem inuentionem excogitauit. Quænã illa est tandem? Sumitur igitur, inquit, definitio rei, quemadmodum distributio, ex omnibus argumentorum partibus, sed verissima breuissimáque ex causis, quæ genere formáque seu differentia comprehẽditur. Hæc prima est uia & ratio quã tradit inueniẽdæ definitionis: quã tanti facit glorioſa ostentatione ductus, eam vt Aristoteleæ, quam altera oratione à Cicerone probatam dixi, anteponi censeat oportere. Quàm autẽ hæc eius uia lubrica sit ac difficilis, quis ignorat? Ex causis rerum eam peti uult, et elici. Cui autem causæ rerum penitus cognitæ & cõprehẽsæ esse possunt, nisi qui longo rerum usu uim & naturam cuiusque peruiderit? Atqui hoc etiam iste fatetur. Itaque alteram uiam tradidit: Verba eius proferam, ut omnes eum à se refelli intelligant, Verum quia, inquit, uix aut ne uix quidem omnium causarum cognitio in hominem cadit: necessaria proximáque optimæ uia definiendi fuerit, ex cæteris argumentis res communes colligere, earúmque frequentia perspicuam proprietatem aliquam efficere, quæ in nullã rem aliam trãsferri possit. Tandem aliquãdo nouæ disciplinæ funda-

tor & conditor cum in omnes partes animi aciẽ intendisset, ut aliquid nouum inueniret, eo inuento, & improbato, ad ueterum inuẽta se recepit. Hæc enim secunda eius uia & ratio est Aristotelis inuentum in secundo Posteriorum Analyticorum libro, quod Cicero totidem penè uerbis, quot iste, est persecutus. Tantũ est, inquit, dicẽdum, qui sit definitionis modus. Sic igitur ueteres præcipiunt, cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei quam definire uelis, cum alijs communia, usque eò persequi dum proprium efficiatur, quod nullam in aliã rem transferri possit. Gloriari tibi iam licet per me, Rame, in hoc inuento tuo. Vides eadem uerba, uides eandẽ sententiam. Quid opus est gloriatione & prædicatione? At Aristoteles ab ijs quæ de aliquibus dicuntur, sumi uult definitionẽ, Ramus à reliquis argumentis: tamen nostrorum uerbis uteris & penè ijsdem sententijs. Quantum autem quæso laboris, quantũ studij poni necesse est in quærendis rebus communibus, si quis per locos effectorum, subiectorum, adiunctorum, dissentaneorum, generis, formæ, nominis, notationis, coniugatorum, testimoniorum, comparationis, diuisionisque expatiari uelit? Quanto breuior & magis compendiaria ad definitionem uia est ea, quam tradidit Aristoteles, Cicero probauit? Neque enim in alia re, nisi in ea quam definire uelimus defigenda est cogitatio: cum illa tua ratio, argumentum unum definitionis ex cæteris nos cogat sumere. Vt si uelim hominẽ definire, quoniam pro-

ximum ei genus scio esse animal, non ultra prograediar, sed eo sumpto, quæram aliud quod ei adiunctum sic proprium erit homini, ut nullam in aliam rem trãsferri possit: hoc est rationis particeps, quò etiam mortale addi potest. Ita hoc totum, Animal rationis particeps mortale, facile inuenitur esse uera hominis definitio. Atque hæc sunt omnia quæ Ramus de prima dialecticæ parte quæ inuentio dicitur, tradidit. In quibus quid est quæso, quod cum Aristotelis ac Ciceronis Topicis aliqua ex parte conferri queat? An non monstratum est, in quibus bene dixerit, eius esse furta omnia? in quibus ab eis discesserit, ea uitiosis & diuisionibus & definitionibus, præposteróq; ordine cõstare? Neq; uero in iudicio alius est, atque in inuentione. Vitiose enim & diuidit & definit omnia. Nam ut de prima diuisione dicam, quid necesse est tria dialectici iudicij genera ponere? Si enim tertium est, ut uult, positum in perspicienda scientiarum humanarum uirtute, quæ ad supremum rerum omnium finem referenda sit, ut laboris humani fructus possit æstimari, & optimus rerum omnium parens atque auctor agnosci: hoc autem dialectici non est munus: profectò non est hoc tertium iudicium dialecticum. Ex quo efficitur, uitiosam esse iudicij dialectici tripartitam diuisionem. Neque enim tripartita esse potest, nisi tertia pars sit dialectici propria. Propriam autem nõ esse hinc sciri potest, quòd dialectica in differendo tota posita est, non in perspicienda reliquarum artium ra-

d. Iudicio

tione, quemadmodum ad deum quasi ad summam omnes referri debeant, quódque dialecticus de ijs tantũ iudicare debeat, quæ inuenerit. Atque hæc omnis ex ignoratione nata fabula est. Nam quoniam de dialectica differentem in politia Platonis Socratem legit Ramus, de hac eum loqui existimauit. At lõgè eũ, quemadmodum in altera oratione docui, fefellit opinio. Neq; enim de hac differit, sed de ea scientia quam Theologiam uocamus: quod uel ex eo intelligi potest, quòd hãc in eo toto quod est, uersari, Socrates dicit, cuius particulam cæteræ artes omnes arripuerint. Sed ad alia pergamus. Primum iudicium definit his uerbis, Primũ itaq; iudiciũ est doctrina unius argumenti firmè cõstãtérq; cũ quæstione collocãdi: unde quæstio ipsa uera falsáue cognoscitur. Syllogismũ autẽ hoc modo, Syllogismus igitur, ut dispositio definiatur, est argumenti cum quæstione firma necessariáq; collocatio, ∇nde quæstio ipsa concluditur atq; æstimatur. Vtraq; uitiosa definitio est, sed posterior magis. Primũ enim quæstionẽ uerã uel falsam esse ponit, deinde eã in ratiocinatione collocat, postremo eã uult concludi: quæ falsa sunt omnia. Nam quæstionẽ uerã aut falsam non esse, hinc perspici licet: Enũciatio omnis ac sola uera aut falsa est: quæstio autẽ nulla est enunciatio: nulla igitur uera aut falsa est quæstio. Quis autem hoc totum, An Socrates dormit? verum aut falsum esse concedet? Ex quo etiam perspicuũ illud alterum est, quæstionem in ratiocinatione non

collocari. Si enim ratiocinatio omnis ex enũciationibus tantũ tribus constat, nulla autem quæstio enunciatio est, certe ratiocinatio nulla ex quæstione constat. Quod autem ait, quæstionem ex argumenti cum quæstione firma necessariáque collocatione concludi, id iam quodam modo falsum esse monstratum est. sed quia aliam etiam disserendi inscitiam complectitur, id alio quoque modo refellamus. Neque enim semper id de quo quæritur, ex propositione & assumptione concluditur. ut si quæratur, Sitne homo libero arbitrio præditus, atq; id negetur, argumentatio per ratiocinationẽ tractari licebit hoc modo, Qui libero arbitrio non est præditus, is peccare non potest: homo autem, ut uis, libero arbitrio præditus non est: nemo igitur homo peccare ullo modo potest. Hæc argumenti tractatio ratiocinatio est, neque tamen tuæ ratiocinationis ei conuenit definitio, aut quæstio in ea cõcluditur. Ita uitiosa est. ut enim definitio uera ei rei quæ definitur, propria esse debet, sic id quod definitur, ad aliam rem trãsferri non oportet. Hoc ego loco minime ea refellam, quæ altera oratione refelli, uti argumentũ uitiosẽ & inscitè appellari quod Arist. μέσον, id uerbum medium nominõ. Hoc tantum dicam, Argumentum omne esse enunciationem, cũ sit, ut Ciceroni placet, probabile inuentum ad faciẽdam fidem. Si igitur simplex uerbũ non sit enunciatio, nec probabile inuentum, ne argumentum quidem esse ullo pacto potest. Veram diuisionem tandem aliquando in-

ueniſti. Rectè enim mihi diuiſiſſe uideris ſyllogiſmum hoc modo: Syllogiſmus itaque ſimplex aut coniunctus eſt. etſi Græci illum κατηγορικὸν, hūc δὲ συναπτικὸν appellant. Vellem equidem in hoc tuo conſilio permaneres. Sed ſtatim ad te redis & ad tuos mores. Nā ut primum tria genera ſimplicium poſuiſti, modos primi generis tantum quatuor, qui nouem ſunt, eſſe dicis. Quod quàm uitioſum ſit, ignorare te non oportuit. Vitioſum eſt enim in diuiſione generis aliquam formam prætermittere. Cur igitur quinque modos primi generis præteriſti? Si ob eam cauſam, quòd ad ſuperiores facile reuocari poſſunt, quemadmodum ex eis manarunt, iſto pacto nimia tua diligentia & cura in reliquis duabus formis culpabitur. Ex enim & à prima ortæ ſunt, & ad eam facile reuocari poſſunt. Secunda enim ſi propoſitio conuertatur, ad eam refertur: tertia, ſi aſſumptio. Sin in eis tradendis diligentiam tuā nos uis laudare, & probare: eandem in quinque illis prætermiſſis primæ formæ modis requiremus. Si enim propterea te laudandum eſſe exiſtimas in reliquis duabus, quòd quoties tria illa uerba ex quibus conſtat omnis ratiocinatio, commutari in illis poſſunt, docuiſti: nonne in prima illa forma quoties commutari poſſunt, debuiſti tradere? Neque enim quatuor illis modis quos expoſuiſti, diſtingui poſſūt, ſed quinq; præterea. In quo explicando tuis utar exemplis, quò facilius erratū tuū poſsis agnoſcere. Quintus igitur modus eſt huiuſmodi,

Quiduis particeps rationis, est dialecticum,
Omnis homo est particeps rationis,
Quidam igitur dialecticus est homo.

Sexti talis est tractatio,
Nihil particeps rationis est expers dialectice:
Omnis homo est particeps rationis:
Nihil igitur expers dialectice est homo.

Septimi tale est exemplum,
Quiduis particeps rationis est dialecticum,
Aliquis homo est particeps rationis,
Aliquis igitur dialecticus est homo.

Octauus tractatur hoc modo,
Quiduis particeps rationis est dialecticum,
Nullus homo est particeps rationis,
Aliquis igitur dialecticus non est homo.

Nonus hoc modo,
Aliquid particeps rationis, est dialecticum,
Nullus autem homo particeps rationis est,
Aliquis igitur dialecticus non est homo.

Quod si tot modis variari & commutari illa verba possunt in prima forma ratiocinationum, neque tot modis posse tradidisti: profectò non solum vitiose hanc formam distribuisti, sed id etiam prætermisisse inueniris, quod te persequi oportuit, aut certè reliquas duas formas præterire. Atque hæc quidem de vitio tuo in partiendo. Has autem formas treis earumque modos omneis cum ab Aristotele sumpseris, eũ præ-

teris, ei hæc non fers accepta, ei deniq; non modo nullam gratiam in hoc libro habes, sed in altero te iniquissimum præbes. Quid hoc turpius, ei præsertim, qui pro æquitate & veritate contra iniustitiã & falsum decernere se dicit? Atqui si hæc ipsa et alia quæ ei furatus es de libro tuo detrahantur, nihil erit prædicabile, nihil glorioſum. Quanto igitur melius feciſſes, ſi hæc quæ tibi vendicas nullo tuo iure, niſi forte glorioſæ oſtentationis, Ariſtotelis eſſe dixiſſes, non tua? eaque plenè vt ille fecit, non tã exiliter & quaſi minutè tradidiſſes? Vide enim quæ in te hoc loco deſyderentur. Cum de ratiocinatione eſſes diſputaturus, nonne te oportuit, quid eſſet enunciatio, quotque eius eſſent genera tradere, quò facilius verum a falſo tui poſſent internoſcere? Vbi præcepiſti quæ quãq; ſequeretur, aut antecederet? quæ cuique conſentanea eſſet? In ratiocinationibus porrò, ubi admonuiſti quæ vitioſæ eßent in quaque forma & modo cõcluſiones? Tu cum vix aut ne vix quidem in vlla dialecticæ parte ſatis non pro dignitate, ſed pro tolerabili doctrina elaboraueris: non ſolum hanc tuã ieiunitatem, & has tuas ſpinas prædicabis. ſed etiã Ariſtotelis, Ciceronis, Quintiliani, aliorumque innumerabilium opibus & copijs antepones? Vtinam Rame, & ingenij tui ac facultatis vim maturius cõſuluiſſes, & tantorum virorum, quorũ auctoritatem contemnis, facultatem, non ex eo quem tibi fingis, litera-

rũ principatu, sed ex ꝟeritate ſpectaſſes. Sed de ſimplici ratiocinatione hactenus. Nunc de coniũcta dicendum eſt. Huius tu quatuor genera facis. primum ex copulatis: ſecundum ex relatiuis, quæ ꝟocãtur: tertium ex connexis: extremum ex diſiunctionibus. Si duo prima genera enumeras, quæ nullas ſuas leges, ꝟt ais, habeant, ſed ad ſimplices dirigantur: cur hoc genus,

Quia ſol lucet, dies eſt:
Sol autem lucet, dies igitur eſt.

Et illud,

Cum dies eſt, nox non eſt:
Nunc autem eſt dies, Nunc igitur nox non eſt.

Cur inquã hæc genera et multa alia quæ nouas leges habent ueritatis, non tradis? Si hæc ad poſteriora duo genera tua pertinere dicas: Primum illa duo etiam ad ſimplicem ratiocinationem reuocari poſſunt. deinde falſum eſt, hæc duo genera ad poſteriorum tuorũ ꝟim & ſimilitudinem accedere. In tuis enim duobus poſterioribus id quod prius eſt & antecedit, non eſt cauſa conſequentis, quemadmodum eſt in altero eorũ generum quæ protuli. Connexarum ratiocinationũ tantum quatuor modos eſſe dicis, & diſiunctarum duos. Si Boethij librum quem ſpernis, et quo tu eges, diligenter euoluiſſes: aut hos quatuor modos connexarum ratiocinationum non attuliſſes, aut certè octo eſſe dixiſſes. Sunt enim quatuor modi perfecti, &

quatuor non perfecti, quòd probationis indigeant, ab eo traditi. Aut igitur quatuor perfectos modos afferre te oportuit, aut certè vniuersos. Nunc cum duos nō perfectos tractaueris, nullum te horum delectum habere, aut potius nihil certi in his tenere profiteris. Quæram igitur à te, Rame, quos perfectos modos conclusionis, quos non perfectos voces. Ne uerbum quidem de his feciſti in libro tuo. Boethium lege. is te docebit, eos perfectos dici, in quibus id quod antecedit ſumitur, & poſterius concluditur. Non perfectos contrà, eos in quibus poſterius ſumitur, ut concludatur prius. Tu autem hos confudiſti. Quid ita? ſi dicas per imprudentiam, facile tibi aſſentiar. Hic enim modus quē ſecundum ponis, primus eſt non perfectorum,

Si homo eſt expers dialecticæ, eſt expers rationis,
Non eſt autem expers rationis,
Non eſt igitur expers dialecticæ.

Hic autem quem quartum ponis, in nullo modo eſt eorum quos Boethius tradidit,

Si homo non eſt expers dialecticæ, eſt particeps rationis,
Eſt autem particeps rationis,
Non eſt igitur expers dialecticæ.

Ita quos ſolum quatuor tradidiſti, multo plures ſunt. Quod quò facilius intelligas, perfectos trein quos prætermiſiſti, tractabo. Secūdus quidē concluſionis modus eſt talis,

Si homo eſt particeps rationis, non eſt expers dia-

lecticæ,

Est autem primum, non igitur secundum.

Tertius est huiusmodi.

Si homo non est particeps rationis, est expers dialecticæ,

Non est autem primum, est igitur secundum.

Quartus est talis,

Si homo non est particeps rationis, non est expers dialecticæ,

Non est autem primum, secundū igitur nō est.

Hos tu modos treis perfectos præteristi, et treis non perfectos.

Totidem enim modis assumere possumus posterius, quot prius.

Quæ cū ita sint, quæ sit tua diuisio, vides. Eodē in vitio est illa quæ posita est in disiūctionibus. Quos enim in eo genere duos modos esse posuisti, ij vt minimum octo sunt. prius enim quatuor modis, & totidem posterius sumi potest. Aut hoc, aut illud: hoc autem, non igitur illud. Aut hoc non est, aut illud non: hoc autem non est: illud igitur est. Aut est hoc, aut non est illud: hoc autem est: illud igitur non est. Aut nō est hoc, aut est illud: hoc autem non est, illud igitur est. Totidem modis licet posterius sumere. In coniunctorum negātia dicis tantum posse vnum retineri, ut reliquum tollatur: quis hoc negat? cum tantum duo coniuncta negaueris. Sed tamen quot modis id fieri possit, non de-

buisti prætermittere. Si enim tantum ijs duobus modis quos tractus, id fieri posse putes, longe falleris opinione. Nam posterius etiam negari potest. Quòd si diligentiam tuam nobis probare in coniunctorum negatia voluisti, cur non eandem in connexorum quoque negantia probasti? præsertim cum hoc genus usitatius sit quàm illud? Quoties enim legisti apud Ciceronem, Non si hoc, propterea illud. vel, Non si hoc, idcirco illud non est, vt in Oratore, Nec verò siquid est vnum inter eos simile (id autem est iudicium electioque uerborum) propterea à cæterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest. & in 11. de finibus, Non enim si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene uiuendum. Perficere enim licet totam argumẽtationem hoc modo, Malum autem dolor est: Non igitur carere eo malo, satis est ad bene viuendũ. Atque hæc quidem habui quæ contra primum iudicium dicerem.

Sequitur secundum, quod totum positum est in præceptis collocationis argumentorum, qua nõ tã in disputationibus, quàm in tradendis cõponendisq; artibus utamur. Quod autem ad primum genus attinet, si dispositionis in disputãdo, Rame, partes duæ, ut uis, principes sunt, definitio & distributio, cur eis in locis extremũ dedisti? An non eundem ordinem in inueniendis locis, quem in tractandis, seruare debuisti? Nam quod ais, unum genus esse tradendarum aut componendarum artiũ: id dicis, quod à definitione rei de qua quæritur,

& diuisione eiusdem in suas partes, proficiscatur: ad id nunc respondere, nisi iam tibi altera oratione respō dissem. Quapropter ad collocationē reuertor. De qua Rame, hoc tibi uere possum dicere, omnia eius præcepta à Ciceronis Partitionibus & lib. II. de Oratore in tuū librum à te esse translata. Cicero enim scribit hæc quæ tu in Partitionibus, Vitare autem similitudinē poterimus non semper à proposito ordientes, & si non omnia confirmando disputabimus, breuiterque interdum quæ erunt satis aperta ponemus: quódque ex ijs efficietur, si id apertū sit, nō habebimus necesse semper concludere. In II. de Oratore libro. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita sit ostendere, & ex ijsdem illis locis interdū concludere: relinquere aliàs, alioque transire. Sæpe non proponere, ac ratione ipsa afferenda quid proponēdum fuerit declarare: si quid cui simile dicas, prius ut simile cōfirmes, deinde quod agitur, adiungas: puncta argumentorum plerunque ut occulas, ne quis ea numerare possit: ut re distinguātur, verbis confusa esse uideātur. Atque hæc quidem ille, quæ tu omnia pene sumpsisti. Non enim, inquis, syllogismorū perpetuitate colligari oratio, sed uariari distinguíq; debet, nec à propositiōe semper ordiri: nec cū illinc ordiemur, omnia cōfirmādo disputare necesse est: sed interdū quæ satis erūt aperta nullius approbationis ratione cōfirmata ponere, et quod ex his assumitur, efficiturque relinquere, alióque trāsire: sæpe

etiã nõ proponere, sed ratione ex ui prætermissæ propositionis eliciẽda atq; assumẽda, quod proponẽdum fuerat, explicare: ut pũcta argumẽtorũ significãtius exprimãtur, quàm uerbosius exponantur. Teneri te manifesto vides: omnia tua furta à me deprehẽsa & perlustrata cernis: quæ profecto non indicarẽ, nisi tu spolijs nostrorũ, quos præ te homines nõ ducis, inopiã tuã tegere voluisses. Sed quid hæc præcepta oratorũ ad dialecticorũ disputationes pertinẽt? An vt illorũ orationes, sic horũ perpetuæ sunt disputationes? Quis locus trãsitioni, cum vitiũ sit vel maximũ aliò trãsire, nõ cõfirmare propositũ? An nõ angustæ sunt adeo & cõtractæ philosophorũ disputationes, vt primum quid proponendũ, deinde assumendũ, & postremo cõcludendũ sit necessario? Lege quæ de ijs scripsit Cic. cũ multis alijs locis tũ vel maximè in Oratore: tũ intelliges hæc præcepta tua oratoribus esse reddenda, quæ dialecticis nulli usui esse possint. Secũdariã (sic enim loqueris) secundi iudicij partitionem, ex adiunctis rerũ personarũmq; describi posse præcipis, quòd rebus personisq; omnis accõmodari debet oratio. Ita cum rerũ duplex sit natura, altera constantiũ & æternarũ, caducarũ & inconstantiũ altera: duplicem vim orationis esse dicis oportere, quarum altera certam scientiam veritatis, altera fidei persuasionem & verisimilitudinem afferat. Hæc cum dicis, quadam ex parte, non in totum uerum dicis: nec quæ ex Timæo Platonis

affers, intelligere uideris. Platonis enim non est uera illa sententia, quã hausit ab ijs philosophis, qui sic hæc omnia fluere & labi dicerent, nihil ut certum de ijs percipi posset. Idque illud eius exordium quæstionis indicat, Quid est quod semper sit, neque ullum habeat ortum? & quod gignatur, nec unquam sit? Vides eum negare hæc esse omnia. Atqui hæc falsa sunt, quemadmodum in Academicis copiosissime Cicero disputat. Nec uerò si rerum caducarum nulla comprehẽdi sciẽtia potest, quòd scientia in rebus æternis, ut uult etiam Aristoteles, uersetur: propterea opinio est quicquid de ijs percipimus. Omnis enim opinio incerta est & infirma: quæ autem sensibus percipimus, si modo sani sint & ualentes, & omnia remoueantur quæ obstant, ea sunt certissima. Nihil igitur hoc loco te adiuuat Platonis quæ falsa est, sententia: qua cum hanc tuam partitionem confirmes, hæres scilicet in luto. Cum de rebus magis longa oratione, quàm uera differuisti: tũ de personis instituis disputare. In qua tota disputatione, alterum tuum furtum manifesto tenetur. Totum enim hunc locũ, Hominũ duo genera sunt, & c. quæ duabus paginis continentur, ex Ciceronis Partitionibus assumpsisti. Atque utinam tam bene palam de eo existimares, quàm libẽter eũ debita laude frauDyscrasia Ciceronis
das. Tertium & extremum iudiciũ restat, quod ante docui, nec huius artis proprium esse, nec uerò necessarium. In quo explicando mirum quanta tua fur-

tà indicaueris. Exẽplũ enim longum illud quod ponis eorum qui in obſcuris antris habitent, totum eſt in Platonis politia. Reliqua fere diſputatio de ſtellis, de cælo, de mundi partibus, tota eſt in lib. de Natura deorũ ijſdem pene verbis expoſita & explicata. Hoc tuũ tertium eiuſmodi iudiciũ poſtea quã tam longa oratione perſecutus es, redis tandem aliquando ad inſtitutũ, Enumeras enim capita totius diſputationis, & rurſus de ijſdẽ rebus diſſeris, ut doceas quẽadmodũ quæſtio inueniend a ſit, quemadmodũ argumentũ. Quod mallem in oratoribus, quàm in poetis feciſſes. Quid enim dialectico cũ poetis cõnnectionis & affinitatis? Quaſi verò vnus Cicero non plura tibi exempla ſuppeditare potuerit, quàm Vergilius, Martialis, Catullus. poetarũ eſt ſuũ dicendi genus. At aliquid proponũt, cõfirmãt, & concludunt. fateor. ſed nihil ad philoſophos & oratores, quos tu cõtẽpſiſſe videris, ut poetas probares. Non nego eis aliquid inter philoſophos & oratores loci eſſe relinquẽdum: tam crebra exempla, quàm tu vis, philoſophos decere, hoc nego. Quapropter Rame, ſi, vt docui, eiuſmodi te dialecticum hoc tuo libro profiteri, qui nec dialectica rectè definieris: nec ſyllogiſmũ, nec uerè & ordine tribuas in parteis & in formas diuidas argumentorũ ſedes & quaſi locos: ſed ita, vt diſcedens & deſciſcens à maximis philoſophis & oratoribus, non meliora, neq; faciliora, ſed & deteriora & ſpinoſiora parias: ſi in

ratiocinationum & ſimplicium & coniunctarũ diuiſionibus tuam inſcitiã demonſtraui: ſi deniq; quicquid in tuo libro boni eſt, id ita planũ feci à te translatum & ſurreptum, vt negare non poßis: quanã eſt tibi iam cauſa, cur hunc tuũ talem librũ, Ariſtotelis, Ciceronis, Quintiliani, innumerabiliũq; aliorũ monumentis & vigilijs anteponendum cenſeas oportere? præſertim cum ſi eis ſua reddas, nihil laude & gloriatione dignum, aut nihil potius omnino tibi reliqui futurum ſit, niſi quædam ficta nomina eaque inuſitata: quæ vt furta tua tegeres, excogitaueris. Mihi enim crede, melius exiſtimationi, melius famæ dignitatique conſules, ſi quod altera iam oratione dedi conſilium, id ſequare: id eſt, ſi hos libros tuos vel occultas, vel potius exuri patiare: quàm ſi in tua hac hæreſi propter eum quem tibi falſo finxiſti, principatum permanẽs, Reip. ocium & tranquillitatem perturbare, tot adoleſcentes tam falſis opinionibus inficere, tot deniq; academiarum ſtudia & inſtituta, quæ tot iam ſeculis tenent & perſequuntur, cõmutare pergas. Nã mihi quidẽ dubium non eſt, quin ſi id vltro parens conſilijs ac monitis meis nõ facias, propediem cum ſummo tuo tuorumque dolore ac gemitu, & bonorũ incredibili lætitia facere cogare. Quæ cum ita ſint, te dũ licet collige, ac redi in gratiam cum bonis. Tibi enim optabilius eſt in laude et gratia cũ illis viuere, quàm in perpetua ignominia eorum odio & inuidia flagra

re quam ſuſtinere non poſsis.

FINIS.

ERRATA.

Fol. 4. p. 1. uerſ. 4. *Lucianus ſcripſit in Chriſtum.*

Fol. 8. p. 1. uerſ. 9. *Qui bibliothecæ præfectus erat, conciliaſſet.*

Fol. 111. p. 1. uerſ. 24. *confeſsione oracula teſtimoniis.*

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

